332.2

Library of the Museum

OF

COMPARATIVE ZOÖLOGY,

AT HARVARD COLLEGE, CAMBRIDGE, MASS.

Founded by private subscription, in 1861.

DR. L. DE KONINCK'S LIBRARY.

No. 1077.

VERMIVM
TERRESTRIUM ET FLUVIATILIUM,

SEU

ANIMALIUM INFUSORIORUM, HELMINTHICORUM, ET TESTACEORUM,

NON MARINORUM,

SUCCINCTA HISTORIA,

AUCTORE

OTHONE FRIDERICO MÜLLER,

REGI DANIÆ A CONSILIIS JUSTITIÆ ET CANCELLARIÆ, ACAD. SCIENT. NAT. CURIOS. HOLMENS. ET BOICÆ, NIDROSIENS. BEROLINENS. ALIARUMQUE SOCIET. LITTER. SODALI. ACAD. PARIS. CORRESP.

VOLUMEN ALTERUM.

HAVNIÆ ET LIPSIÆ,

APUD *HEINECK* ET *FABER*,

EX OFFICINA MÖLLERIANA.

1774.

TESTACEA.

Qual Vitruvio fabrica loro una caſa ſi capriccioſa, e impoſſibile a imitarſi dall' arte? Iddio, compreſo ſotto il vocabulo di Natura, geometrizà in ogni ſuo lavoro, come dicean gli antichi, onde poſſano con uqual fatica e diletto nella ſemplici voluta d'una Chiocciola raggirarſi i penſieri. *BUON.* RICREAT.

Satis lapillis & teſtis luſum eſt; ſatis ſtructura cochlearum & concharum multiplici, earundemque coloribus in infinitum variantibus ſtupuimus. Nuces jam demum pueris relinquere convenit; viros nucleum, non putamina, quærere, *hoſpitem*, non domicilium unice, mirari penitusque noſcere decet. Hunc ſi noverimus, rationem diverſæ habitaculi ſtructuræ, & ipſorum forſitan colorum in eo inveniremus, hallucinationesque auctorum in diſtributione generum evitaremus.

Partes ſexuales vegetabilium, in pluribus minimas, in multis dubias pro fundamento ſyſtematis admittunt Botanici, totum animal in cognitione & diſtributione *Teſtaceorum* negligunt Zoologi, teſtarum figuris, dentibus & aperturis, characteri in pluribus generali, lubrico, vago, unice inhærentes. Hinc Teſtacea *terreſtria*, *fluviatilia*, *marina*, *operculata*, & operculo *deſtituta*, *quadricornia* & *bicornia*, quan-

tumvis maxime discordia ad unum idemque genus vel promiſcue rediguntur, vel in genera Naturæ abſona confuſe diſpeſcuntur. Hujus exempla apud auctores, qui animalia ignoravere, illius in HELICE perilluſtris a LINNÉ, exſtant. Jure quidem miratus eſt *Fabius Columna*, neminem omnium, qui de teſtaceis verba fecere, in teſtis inhabitantia animalia conſideraſſe, variasque eorum effigies tradidiſſe, at mirabundus ipſe in trium deſcriptione ſubſtitit. Inde centum & quinquaginta & quod excurrit, anni effluxere, antequam ullus, (anatomicas perpaucorum deſcriptiones non moror) nutui naturæ & monito *Columnæ* morem geſſerit. Primus poſt tantum intervallum clariſſ. *Adanſon* ſumma opera & ſagacitate teſtacea in tractu Senegalenſi Africæ obvia inveſtigavit, primus celeberr. *Geofroi* in domeſtica inquiſivit, eo animo uterque, ut ad genera effingenda ſtructuram animalis in conſilium vocaret.

Teſtaceis *terreſtribus* & *fluviatilibus* agri *Fridrichsdalenſis* per aliquot annos intentus, quædam nova, plura ſcitu digna inveni, quæ cum cultoribus rei naturalis communicare mens eſt. Ut vero minus cognita noſcantur, notaque facilius quærantur, methodum fingere, vel jam fictam ſequi neceſſe eſt. Habeant ſuas diviſiones, qui conchylia ad pompam colligunt,

ligunt, arbitrio cujuscunque auctoris innixas; naturæ ſtudioſi naturam conſulant, naturamque ſequantur, ſaltem in iis, quæ ante pedes ſunt, & quantum licet. Methodum enim, qui ex mera teſtarum inſpectione, nullo habito inhabitantis reſpectu, concinnat, *Cytherem* & *Lynceum* Monoculorum, vera inſecta, in numerum teſtaceorum admittere, *aquatica* & *terreſtria* eidem generi adſcribere, hoſpitesque ſimillimos ob diverſam habitaculi faciem ſeparare debet. Qui ex ſtructura teſtarum & vermium ſimul diſpoſitionem componit, ex unico *Helicis* genere ſeptem ſaltem genera, ex *Planorbe* tria ex *Nerita* tria, invita quidem natura, fingat. Sic clariſ. *Geofroi*, qui in definitione generica teſtas quoque admittit, eodem jure, quo *Ancylum* a *Planorbe*, cum ſola teſta differre contendit, ſejungit, propriumque genus conſtituit, *turritas* Helices a *depreſſis* & *globoſis*, *depreſſos* Planorbes ab *ovatis* disjungere debuiſſet; at recte ſejunxit, novumque genus finxit, licet veram & validam novi generis rationem minus obſervaverit; limax enim *Ancyli* non tantum teſtæ ſtructura a *Planorbe* diverſus eſt, ſed tentaculis quoque, quæ in hoc *longa* & *ſetacea*, in illo *brevia* & *truncata*, ſunt. Ea quidem diviſio, quæ & ad teſtas & ad vermes reſpicit, adeoque & ſenſibus & rationi ſatisfacit, optima eſſet, ſi figura teſtæ Structuræ hoſpitis externæ reſponderet, cum vero limaces

genere

genere ſimiles domunculas genere diverſas habitent, nulla omnino ex utroque nota differentialis generica peti poteſt. Ordines hinc ex ſtructura vermis generaliori; genera ex numero figuraque tentaculorum, ex ſitu oculorum: ſubdiviſiones & ſpecies ex figuratione unicuique teſtæ propria depromſi. Hoc Naturæ maxime congruum eſſe, ex eo patet, quod animalia ſimillima, externaque facie prorſus eadem, vel nulla vel teſtis infinite variantibus, lege tamen omni generationi immutabili, inſtruantur, dehinc ratio, ob quam limax *nudus* & teſta *tectus* eidem ordini, *terreſtris* vero, *fluviatilis* & *marinus*, teſtæ licet ſimillimæ ſint, diverſo generi ſubmitti debent, ipſis oculis percipitur.

Objici quidem poteſt, teſtarum hoſpites explorari in ſolis domeſticis concedi, at ex eorum inquiſitione tanto plus voluptatis & emolumenti redundaturum, quanto opus quodlibet artificioſiſſimum opifice inferius eſt, abunde evincunt obſervationes in oeconomia horum animalium nuper inſtitutæ, exoticorumque limacum inveſtigationem, increſcente indies in Hiſtoriam naturalem favore, Conchyliologis peregrinantibus curæ cordique futuram, ominantur. Hac ratione, ſi unquam, Syſtema Conchyliorum naturale ſperari poteſt. Difficillimum quidem argumento gemino,

gemino, at minus juſto arguit clariſ. *Schröter*, quod nempe *teſtacea Galliæ in Germania non æque indigenæ ſint*, quodque *differentia hoſpitum teſtarum generis diverſi nulla, vel ſaltem indiſtincta ſit;* hoc maxime probat, teſtas ſimilium animalium, licet ſint diverſæ figuræ, minus tamen bene diverſi generis dici, cum a potiori ſumi debeat character genericus, ac ſimilia animalia, ædificia etiamſi diverſa inhabitantia, uno nomine jungi, diſſimilia, inhabitationes quamvis ſimiles ſint, ſeparari e nutu Naturæ; illius vero contrarium verum eſt, teſtacea enim fluviatilia & terreſtria nulli regioni propria, ſed maximam partem toti Europæ communia ſunt.

Quibus interim teſtarum contemplatio ſufficit, diviſiones a figura domicilii ubique apud auctores reperient. Ego, loco taliscunque diſtributionis arbitrariæ, contra primam operis ideam, quæ circa indigenarum hiſtoriam unice verſabatur, utque hiſtoriam oſtracodermatum *terreſtrium* & *fluviatilium* *) quam maxime completam traderem, quascunque teſtas, quæ vel auctoritas

*) Diviſio Teſtaceorum in *terreſtria* & *fluviatilia*, ſi teſtas reſpicis, naturæ repugnat, ſi vero animalia, maxime conſentanea eſt; terreſtribus enim non tantum tentacula forma & ſtructura a fluviatilibus diverſa, ſed iis quoque ſolis quatuor tribuit, nec pauciſſimorum utriusque claſſis in aquis & in terra momen-

ritas deſcriptorum, vel habitus terreſtres & fluviatiles fecit, in Muſeo proprio vel civium obvias deſcripſi, ſuoque loco inſerui. Hoc quidem ex parte & ante me præſtitere viri illuſtres; *Geofroi* enim terreſtria & fluviatilia, *Schröter* ſola terreſtria, *domeſtica* deſcripſere, *Liſter* vero & *Martini* de tota Teſtaceologia optime meriti, quicquid de utroque cujuslibet regionis eousque innotuerit, ex propriis aliorumque obſervationibus collegerunt. Qui tamen in hoc opere numerum novarum & minus notarum ſpecierum computaverit, deſcriptiones omnes de novo factas, obſervationes quam plurimas, erroresque auctorum paucis caſtigatos viderit, nihilque aliorum auctoritate, ſed quodvis, minus vulgare, propriis obſervationibus prolatum, obſervationesque auctorum meis non contrarias, ne centies dicta regerantur, omiſſas animadverterit, operam ſupervacaneam minime cenſeat, viris præclaris publice & privatim editionem operis exoptantibus gratias habiturus.

Specialiora de domunculis & inquilinis teſtaceorum in ipſa cujuslibet hiſtoria monui, generalioribus hic locum ſervavi, cumque intellectus humanus anguſtis finibus

tantum hoſpitium terrenam gentem in aquaticam, vel hanc in illam mutat; ægrius *marina* a *fluviatilibus* ſeparantur, at hoc haud præſentis indaginis eſt.

finibus circumſcriptus ſit, ac memoria facile labet, hallucinationes ſagaciſſimis quoque non poſſunt non obrepere, eo vero exactiori cura diſpellendæ ſunt, quo majori auctoritate derivantur; paucis igitur, quæ circa teſtacea terreſtria & fluviatilia verſantur, nec in ipſo opere memoratæ ſunt, notare lubet.

Limaces *quadricornes* omnes terreſtres ſunt, minus vero omnes terreſtres quadricornes; *Vertigo* & *Carychium* legem hanc Conchyliologis generalem limitant. Aquatici omnes *bicornes*, minus vero vice verſa. Helicem *ſuccineam* auctores *amphibium* dixere, quum ei ſoli proprium in aqua æque ac in terra vivere crederetur, at hoc pluribus *terreſtrium* commune eſt, multos enim aquæ immiſſos non ſuffocari, quosdam ſeſe, ut aufugiant, aquæ ſponte tradere, ideoque locum aquis clauſum, quem cochleariis inſtituendis *Varro* indicat, non ſatis tutum, varietatemque H. *nemoralis*, quod ſingulariſſimum puto, fundo rivi tota æſtate vivere, obſervationibus didici. *Fluviatiles* non contra: aqua enim extracti & in ſicco poſiti brevi pereunt; notandum enim H. *ſuccineam*, quam fluviatilem cenſent plerique, eſſe terreſtrem, id quod tentaculis quatuor & ſaliva, qua aperturam more terreſtrium claudit, egregie probatur. Plures tamen aquam ſponte deſerunt, plantis aquaticis vel parietibus

vaſis, quo continentur, extra aquam ſeſe affigunt, ibique poſt aliquot horas plerumque pereunt.

Terreſtrium & fluviatilium *victus* ex herbis eſt; nudi Fungos, Boletos & Agaricos inprimis in deliciis habent; at inediam ultra fidem pati poſſunt; miratur quidem *Leſſer* decemdialem, ego vero Hel. *nemorales* ultra annum absque omni nutrimento, ac *Buccina* & *Planorbes* per integros menſes in aqua immutata omnisque vegetabilis experte, vivos ſervavi; fluviatiles guttulas aquæ, hisque immixtas moleculas terrenas, animalculaque microſcopica fere continuo ingurgitare vidi, terreſtres vero ſolo humore aeris, pluviaque naturali vel factitia, quam, uti plantæ marinæ aquam, poris corporis undequaque hauſiſſe ſuſpicamur, vitam ſuſtentare. Errant tamen, qui teſtacea ſola humiditate aquarum ubique in poros penetrante nutriri putant; organa oris nec terreſtribus nec aquaticis fruſtra tributa ſunt, utraque nutrimentum ore capere ſæpius vidi. Papyro quoque & calce veſci dicuntur, mihi vero *Limaces* & *Helices*, ut ſeſe carcere liberarent, chartam rodebant & dilacerabant, *lapicidamque* auctorum ab omni calce remotam vitam degere infra dixi; qvo medio panem, caſeum & piſcium caudam ſalſamque

*) Hinc effatum Liſteri & aliorum *cochleas terreſtres marina & dulci aqua æque necari*, anatom. p. 81., in genere non valet.

que carnem e longinquo olfacient, unde ipſe *Liſter* hoc ſciverit, ignoro. Fluviatilia ore & teſta hiante guttulam roris appetere, fæcula majorum ſapit.

In terreſtribus decantata poetarum & pictorum, quibus quælibet audendi fingendique poteſtas, *ſagitta* amatoria revera exiſtit; primo vere ubique in hortis inventu facilis, perpaucis licet mortalium unquam viſa ſit. Conchyliologorum princeps *Liſter* eam jam vidit, obiterque delineavit; corpore H. *nemoralis* extus infixam ſæpius extraxi, amicosque extrahere feci. Candida eſt, pellucens, cartilaginea, quadrata angulis ſubmembranaceis, apice acutiſſima, baſin verſus aliquantum coarctata & teres, ipſa baſis vero orbiculata eſt, & truncata: latera percurrit quaſi linea utrinque pinnata; lineam lata, octo lineas longa eſt. Curvam minus bene *Leſſer* dixit, cuſpide quadruplici inſtructam perperam anonymus *). Humoris cærulei, quem ex vulnere defluere narrat *Liſter*, nec vulneris ullum vidi veſtigium, licet ex utroque in ipſa copula ſagittas extraxerim.

In teſta tectis coitus non ante peragitur, quam teſtæ incrementum abſolutum ſit; abſolvitur enim in plerisque, cum limax marginem aperturæ labro firmat. Hoc pubertatis indicium, jam enim materies, quam natura exſtruendæ domunculæ ſuppeditat, formationi ſa-

*) Schauplatz der Natur, vol. I. p. 277.

gittæ cupidinis, propagationi & organis ad eam neceſſariis impenditur. Quoties coire cupiunt, altera alteri ſagittam vibrat, hæc vel juxta decidit, vel alteram tangens corpori fixa inhæret. Helices *nemorales* verſus finem Aprilis & Septembris, medio Junii & Auguſti, & ſub initium Maji copula junctas deprehendi.

Varietates Limacis *cinerei* ad meridiem & die ſerena ineunte Auguſto *Liſter* in copula vidit, ego eodem anni tempore, poſt meridiem quoque & tempeſtate maxime pluvia & ventoſa individua varietatis α Limacis *atri* & individua variet. α L. *cinerei* mutuo juncta contemplatus ſum. Ope humoris viſcidi coagulati & indurati, caudas involventis, corpora utriusque, triplici gyratione implexa, tres ulnas ſupra terram de trunco fagino libere pendebant; infra capita a dextra colli parte propendebant genitalia utriusque glutinoſa ſeptem gyris, plicis innumeris, circumacta, motu ſerpentiformi a dextra in ſiniſtram et v. v. continuo alternante; ore alter alterius foramini anali adjacens, glutinoſam genitalium ſubſtantiam mordens ſuctu alternatim adtraxit & evomit, ſuaviisque ejusmodi ſpeciem propagabat. Foramen *genitale* ab *anali* diverſum eſt; hoc in ipſo clypeo limacis nudi, in collari teſta tecti, reſpirationi ſimul inſerviens, illud pone caput, utrumque in dextro latere; quod monendum erat, quia illuſtris a *Linné* & cl. *Bomare* utrumque, quod Natura ſatis

removet;

removet, auctoresque apprime distinxerunt, unum idemque dicunt; *Argenville* *) vero anum & exitum excrementorum diversis locis oscitanter posuit.

Limaces sub lapidibus & intra cortices arborum emortuarum &c. sese Octobri condunt, hisque locis duos & sæpius plures haud tamen diversæ speciei in societate constipatos tota hieme latitasse reperi. Caput clypeo condi potest, minus vero cauda & totum corpus.

Tentacula objecto tentando vix inserviunt, nec iter dirigendo, uti volunt auctores **), limaces enim tentaculis orbati æque libere & celeriter repunt; at sensu nobis ignoto forte gaudent. In *quadricornibus* ope nervi nigri, quem opticum vocant, in sese revolvi possunt, & quidem in nonnullis maxima celeritate ad medium dorsi usque; in *bicornibus* seu aquaticis ope musculorum vel rigida extenduntur, apiceque recurvantur, vel laxa dependent, vel ad corpus reflectuntur, more vero terrestrium contrahi & in capite condi, quod

*) Zoomorph. p. 81. leur anus s'ouvre à la partie droite du collet & leurs excremens sortent par un trou voisin.

**) *Argenville* Zoomorph. p. 81. idem oculos, quos limacibus testa tectis tribuit, nudis adimit, ibid. p 84 & olim *Plinius: cornua protendentes, contrahentesque oculis carent, ideo cornicu. lis præsentant iter;* h. nat. l. 9, c. 32.

quod indicat LISTER, minime poſſunt; *oculi* aquaticorum veſtiuntur membranula pellucente, quam limax, ut objecta perſpicue luſtret, in colliculum erigit. Tentacula *inutilia* & *ſuperflua* temere pronunciat clariſ. ADANSON, cum ab ignorantia uſus ad non uſum minus logice concludatur; ſi limaces tentaculis orbatos vitam æque degere, ac iisdem inſtructos cognitum habuiſſet, ſpecie probabilitatis ſeſe commendaret nimis jam audax aſſertio, quid vero, ſi toto capite orbi vitam ultra annum producant, an caput igitur inutile & ſuperfluum? cura, qua Natura capitis & tentaculorum reſtitutionem molitur, ſenſusque exquiſitior quam in reliquo corpore, quod ipſe eodem loco confitetur, ſi quodvis aliud argumentum deeſſet, hæc organa æque utilia & neceſſaria eſſe, evincit.

Membrana, quam veteres *limbum*, hodierni in limacibus ſeu cochlearum inquilinis *collare* ſive *pallium* nominant, collum animalis cingit, ac ex ſententia quorundam teſtam interne & externe in nonnullis veſtit. Uſus ejus ſecundum auctores varius: hiatus duos, alterum foecibus, alterum aeri inſervientem continet; ADANSON putat, pallium, collare, ne aqua animaculo invito teſtam intret, impedire, vel intromiſſam retinere. An limax unquam aquam in interiora teſtæ admittat, incertus ſum, nec video, collari aperruram

turam occupante, quomodo fiat, niſi foramine vel branchiali vel annali, hoc vero, dum foeces excernuntur, modo aperitur, illud ſatis patulum ſpatium vaſtum ſeu interiora ipſius teſtæ ab omni aqua vacuum parietesque interiores membranula glutinoſa obtectos contemplari permittit. Lister quidem meminit, *Buccinum foramen ad dextrum rotundum & anguſtum ſibi efficere ſolere, quo piſcium more quodam reciproco aquam recipiat ac ejiciat.* Foramen dextrum millies inſpexi, aquam intrare & ejici in *Buccino* nunquam vidi; *Planorbes* quidem & *Neritæ* e laxo pallio ſiphonem ſeu tubulum, huic forte uſui accommodatum, quandoquidem formant, nec tamen in his luſum aquæ reciprocum percepi. Membranam triplicem glutinoſam diſtinguo, mediam & craſſiorem, duasque graciliores, mediæ utrinque adnatas. Illam *Collare*, has *Tunicam* & *Pallium* dico.

Collare eſt membrana opaca, & ſpumoſa, qua limax cingitur & pro lubitu conditur, aperturam teſtæ, ſi vel limax domunculo exit, vel in ea latet, continuo occupans & implens. In eo, limace foris egreſſo, duo foramina obſervantur, tracheæ & ani; hujus ope excrementa ſecernuntur, illius aër ſpiratur; utrumque pro lubitu animalis aperitur & clauditur. Præcipuus ejus uſus & nunquam non mirandus, in ter-

reſtribus ſpumam, ex qua opercula momento formantur, ſecernendi, in omnibus teſtam ſeu domunculam ſtruendi, læſam reſarciendi. *Tunica* eſt pellicula, venis, maculis, punctisque variegata, parietes interiores anfractuum obveſtiens, ac colores, quibus teſtæ animalculo foetæ ſuperbiunt, intrinſecus ſuppeditans. Huic glabrities interior teſtæ, huic (minime corpori limacis, quamvis maculatum ſit) omnes teſtarum maculæ & puncta aurea, nigra, luteſcentia &c. ac venarum ramificationes per teſtam apparentes, in plurimis noſtratium terreſtrium & fluviatilium debentur; licet enim foris egrediatur animal, maculæ & puncta in teſta permanent, ac ſi domo clauderetur; e contra, cum ſeſe in anfractus minores ſubducit, maculæ & puncta in majori evaneſcunt, & ſi totus extrahatur, tota teſta immaculata evadit, ſola faſcia in faſciatis teſtæ connata ſuperſtite. Per foramen branchiale *collaris*, qvod aperitur, quoties limax foris ſit, interiora anfractus majoris luſtrare, lateraque undique *Tunica* reticulari cooperta contemplari licet. *Collari* & *tunica* omnes cochleæ inſtruuntur, *Pallio* vero perpaucæ fluviatilium tantummodo *) gaudent. Hoc vel integrum, vel in lacinias fiſſum ſuperficiem teſtæ vel

*) In terreſtribus mihi obviis ſola Helix *pellucida* p. 16. rudimentum pallii exſerit, laciniam nempe, qua teſtam perpolit. Ibidem & in ſchemate generali collare ex ſententia auctorum pallium dixi.

vel ex parte vel totam, quoties limax foris vagetur, obtegit.

Licet limaces toto corpore *humorem* exſudent, tria tamen loca, quibus præcipue ſecernitur, notari merentur; *collare* nempe, de quo jam diximus, pluraque infra dicentur, *foſſula* triangularis in dorſo juxta extremitatem caudæ, e qua viſcus momento coagulatus exſtillat, novusque, quoties acicula auferatur, brevi ſuccedit, & ipſa corporis *extremitas*, ubi alius liquor viſcidus, quo limax veſtigia ſua notat, excernitur. In tanta humorum affluentia Limacis terreſtris ingreſſus a LISTER apprime dicitur *quædam veluti natatio in proprio humore*, perverſe vero ſubjicitur: *ſi non continuo illum inter eundum eructaret, propria ſaliva implicitus loco adfigeretur*, dicere potius voluit, ſi inter eructandum curſum non pergeret, nec hoc ſatis juſtum, limaces enim facultate hunc humorem pro lubitu ſecernendi vel retinendi gaudent, alias enim, cum ſæpe extra teſtam temporis ſpatio quieſcant, ibidem rore pingui coagulato tenerentur. Spuma, quam laceſſitæ cochleæ copioſe eructant, non e foramine branchiali, uti *Liſter* narrat, ſed ex poris *Collaris* enaſcitur, ex ore etiam more *Larvarum* ſalivam, cui minus bene formatio fimbriæ teſtarum tribuitur *), evomere, at rarius, vidi.

*) *Klein* teſt. form. p. 16 & 24.

Inceſſus limacis ope organorum in area media plani inferioris corporis latentium peragitur; ibi enim in nudis præſertim motus undulans concitatus, continuo ſurſum tendens, id eſt, ab extremitate pedis poſtica ad anticam, clare conſpicitur. Lente tamen loco in locum movetur, etiamſi undarum altera alteram celeri lapſu cogat. In fluviatilibus nulla quidem undulatio percipitur, ope tamen occultæ rotationis vel ignoto mechanismo nec lentius, quam terreſtres, progrediuntur.

Limaces terreſtres teſta inſtructos imprimis deſtruunt *Lacertæ* *) & *Staphylini*, fluviatiles vero *Hirudines*, carnem limacinam exſugere appetentes.

Ætas & numerus annorum nec ex numero anfractuum nec ex productione aperturæ in cochleis dijudicatur; ex illo quidem juniores & ætate provectiores diſtinguuntur, nulla vero annorum determinata menſura ſumi poteſt; incrementum enim teſtæ, quod fit novi ſucci indurati appoſitione annua ad marginem aperturæ, ratione ætatis, tempeſtatis, valetudinis, nutrimenti &c. variat, cochleaque ad juſtam magnitudinem producta, vel potius limace generationi maturo,

*) Jam *Plinii* tempore *lacertæ inimiciſſimum genus cochleis. H. nat.* l. 8. c. 39.

turo, teſtæ margo in genere non amplius increſcit, ſed in terreſtribus ſaltem labro terminatur. Falſum dehinc quorundam judicium, cochlides totidem annos, quot orbes habere; falſum & contradictorium terreſtres numero anfractuum octenario conſtanter gaudere, ætateque ad decennarium augeri. Numerus in perfectis quinarius vulgaris, binarius, ternarius & ſedecennarius rarus, intermedii paſſim obvii; quilibet ſuæ ſpeciei plerumque conſtans.

Rationem plurimarum teſtæ circumvolutionum in eo minus bene *Liſter* quærit, quod limaces teſtis non ſint affixi, corpusque eorum dehinc, ne excidat, multiplici gyro intorquatur, ligamentis enim parieti teſtæ interiori adeo adhærent, ut cadavera eorum non niſi violenta ligamentorum ruptione educantur. Quomodo *Klein* duas priores ſpiras cochleæ junioris minores duabus prioribus cochleæ adultæ dicere queat, non video, in omni enim ætate volumine eædem & immutabiles perſiſtunt, nec ullo modo augeri poſſunt vicinis anfractibus ſtipatæ; hanc ob cauſam, quoties de ſpecie juniorum ſeu imperfectarum cochlearum ambigitur, diffractio ſeu reductio perfectæ, cujus pullos ſuſpicaris, ad totidem anfractus, omne dubium tollere valet.

Apertura cochlearum in quibusdam ſemper patet, in aliis *operculo* clauditur; in *Buccino* & *Planorbe*

continuo, in *Helice*, *Vertigine* & *Carychio* pro tempore patet, interdum operculo *factitio* obturatur, in *Nerita* & *Valvata nativo* clauditur. Hoc dehinc perenne pedi limacis adhæret, ac pro ratione aperturæ novis acceſſionibus augetur; illud a corpore disjunctum improprie operculum dicitur, pro lubitu animalis, effingitur & deſtruitur, æſtivo tempore membrana pellucida ſimplici conſtat, momenta vel dies perdurat; autumnali vero membrana triplicata, calcarea, opaca, totam hiemem duratura, componitur.

Operculo factitio aperturam pro lubitu claudendi facultate omnes Helices mihi notæ gaudent, Turbinibus cl. *Schröter* nequidem exceptis, in Hel. enim *lubrica*, *obſcura*, *peruerſa*, *Trochulo* &c. operculum tenue & pellucidum, at non calcareum, pauciſſimis proprium, vidi.

Colores teſtarum alii epidermidi, alii ipſius teſtæ ſubſtantiæ calcareæ deberi dicunt; in genere huic debentur, illamque omni pictura carere, faſciasque & maculas diverſicolores ipſi ſubſtantiæ teſtarum coalitas per epidermidem pellucere, in quibusdam terreſtibus & fluviatilibus reperi. Aliam colorum rationem infra exemplis demonſtrandam, ſupra indicavi: *Tunicam* nempe limacis teſtas pellucidas & immacula-

tas

tas punctis, maculis, venis quoque ramosis varie & graphice exornantem. E numero & diverso fasciarum situ characterem specificum perperam desumi in ipsa testaceorum historia luculenter patet.

Cum de distributione & partibus conchyliorum multa differuere auctores, paucula de binis maximi ponderis momentis in historia testaceorum inter graviſſimos Naturæ scrutatores huc usque controversis modo interponere libet. De *formatione* & *incremento* testæ, ac de *restitutione* partium amissarum in limace res agitur.

Quoad primum duplex est sententia Physicorum, altera nempe *animalia testacea cum ipsis & per omnes dimensiones integris testis ex ovo in lucem prodire*, altera *hospites quidem ex ovo at non una cum testis numero anfractuum perfectis enasci*.

In sperma te testaceorum, imprimis fluviatilium & marinorum, sæpenumero vidi, nudis quoque oculis facillime conspicitur, limaces ibidem jam testis tectos latere, testamque & hospitem, dum genituræ pellucidæ adhuc claudantur, æque ac extra eandem libero aëre, incrementum sumere. Hoc facilis anfractuum,

in

in junioribus & adultis diverſa *), computatio probat; teſta enim cum ſpermate excludatur, in *cochleis* uno vel binis anfractibus inſtructa, in *conchis* pauxillo ſtratorum numero circumſcripta eſt, adulta vero ætate in his ſtrata fere innumera, in illis quinque, octo & plures circumvolutiones obſervantur. Hinc dubitari vix poteſt, teſtam, ut primum limax evolvi coepit, ratione hujus voluminis ſimul increſcere, utrumque ſucceſſu temporis ad magnitudinem ſpeciei cuique determinatam augeri.

Modus, quo incrementum in teſta perficitur, æque ambiguus habetur. Res augetur vel introrſum evolutione in majus volumen, vel extrorſum novis additamentis; illud augmentum *per intuſſuſceptionem*, hoc *per juxtapoſitionem* nominaverunt; hanc in teſtis formandis *Reaumur* adoptavit, obſervationibusque probavit; *Klein* vero ſententiam Reaumurianam longa diſſertatione impugnans, intuſſuſceptionem in teſtis æque, ac in hoſpite admiſit. Quilibet aſſeclas ſuos habet, lisque ad hodierna usque tempora ſub judice perſiſtit, quam cum novis obſervationibus dirimi poſſe

*) Contrarium quidem diſputat *Klein*, cochleam nempe in ovo tot ſpiras habere, quot habeat ad provectam ætatem devoluta, at illuſionem hanc facile diſſipat quælibet junioris & adultæ teſtæ ubivis obviæ inſpectio.

poſſe judicarem, non absque miratione audio, illuſtrem Bonnet experimentis clariſ. *Heriſſant* circa oſſium & teſtarum generationem perſvaſum, ſe ipſum amicumque ſuum Reaumur erroris accuſare *) ac in ſententiam *Kleinianam* deſcendere. Tanta tamen auctoritate me minimum convictum profiteor; clariſ. enim Heriſſant experimentis ſumma induſtria inſtitutis, teſtas conchyliorum duabus ſubſtantiis, membranacea ſeu animali & terrea ſeu cretacea conſtare, hancque illam incruſtare, tantum probat; addit quidem, teſtam eſſe appendicem corporis limacini, fibrisque ligamenti, quo limax teſtæ adhæret, continuari, hypotheſin tamen nec argumentis aut obſervationibus firmat, nec *Reaumuriana* contraria refutare conatur.

Non parum lucis ex operculis Helicum factitiis, examini nitri *diſſolventis* nominati auctoris ſubjectis, ſperabam; collare enim Helicum exſudare liquorem, in operculum indureſcens, hocque ſemper liberum & absque ulla cum limace connexione aperturam teſtæ claudere

*) *J'avois donc commis une erreur ſur les coquillages, & cette erreur je l'avois commiſe d'après feu mon illuſtre ami Mr. de* Reaumur; *des experiences équivoques l'avoient trompé; la coquille ne croit point par* appoſition *ou par* tranſudation. *Paling. philoſ. t. 1. p. 405.*

claudere ſæpius vidi. Concludebam hinc, ſi ope nitri *diſſolventis* meram ſubſtantiam cretaceam, nullam membranaceam, reticularem, qualis in ipſa teſta adeſt, deprehenderem, clariſ. virorum *Klein* & *Heriſſant* hypotheſin de incremento teſtarum per intusſuſceptionem veritati proximam eſſe, ſi vero membranacea, ſeu animalis, in operculo obvia eſſet, hanc æque in teſta ac in operculo vapori *collaris* exhalantis debitam referri, adeoque incrementum fieri per appoſitionem. Hæc meditanti occurrit ipſe deſideratus Galli commentarius *); non minore voluptate membranam animalem operculi H. *pomatiæ* nitidiſſime impreſſam luſtro, cumque nullam operculi cum limace cohæſionem unquam viderim, aut ſuſpicari licuerit, ſententiam de incremento per appoſitionem non parum corroboratam cenſeo; averſari quidem videtur ligamentum vaſculoſum, quo operculum pedi limacis adhærere aſſerit auctor, ingenue tamen, licet fidem dictis clariſ. Viri detrahere nollem, confiteor, me nullum ligamenti veſtigium unquam in pede limacino, liquorem vero undique e *collari* ſpumantem paucis momentis in operculum evadere ſæpius vidiſſe, nec quo modo ope unius ligamenti ſeu canalis advectitii, & quidem non centro operculi ſed lateri affixi operculum adeo compoſitum, quale

*) Memoires de l'Academie des Sciences; à Paris 1766.

le in H. *pomatia*, breviſſimo temporis intervallo conſtruatur, conciliari poſſe. Valde quoque dubito, obſervatores, ſi illuſtrem *Reaumur* excipias, operationi limacis in exſtruenda teſta, aut operculo, interfuiſſe, alias enim nec corpus limacis archetypum teſtæ ſeu gyrationum, nec e liquore viſcido corporis teſtam, nec ſpumâ oris operculum & labium formari dixerint, cum formatio hæc in Helicibus, incrementum & reſarcitio teſtæ in omnibus, ſoli *collari* deberi videtur. Spumantem e collari liquorem in membranam operculi diaphanam mutari in terreſtribus cochleis, inque H. *pomatia* & aliis incruſtari, cuilibet videre eſt. Ipſe *Klein* docet, maximum cochlearum anfractum appoſitione augeri, limbumque ſeu labium ſaliva oris (*vel potius* collaris)eructata redintegrari, cur non æque minores tali additione increſcere poſſunt?

Teſtarum & operculorum partes conſtituentes, ſubſtantias nempe membranaceas & cretaceas optime extricavit clariſ. *Heriſſant*, at utriusque generatio ope juxtapoſitionis æque ac intuſſuſceptionis peragi poſſe videtur; illa in formatione operculi ad oculum demonſtratur, hæc ſola cohæſione ligamenti limacis cum teſta inititur; hoc tamen, cujus unius medio incrementum per intuſſuſceptionem, ſi unquam, fieri poteſt, nullam canaliculorum limacis & teſtæ liquores nutritios vehen-

tium communionem admittit, quoniam locum ad perfectionem teſtæ usque mutans, parieti novo & politiſſimo ſenſim affigitur. Hæc ligamenti translocatio absque controverſia eſt, quicquid dicat *Klein;* in pluribus enim cochleis pellucidis anfractus minores a limace derelicti vacui videntur, *Helices*que apice *Planorbes*que centro mutilatos vivos ſervavi; hinc nec, uti aſſerit KLEIN, *ab illo puncto primæ ſpiræ ejusque ſalute vita animalis ejusque vegetatio dependet*; nec cauſa, cur prima & ſecunda ſpira pertuſa non reſarcietur, in tenerrimis animalis interaneis quærenda, ſed in remoto collari, reparationem unice efficiente.

Quoties limax domunculam nova acceſſione ampliare molitur, teſtam non operculo claudit, nec ſeſe in interiora ſubdit, ſed collari involutus in ipſa apertura dies immotus hæret; tum in parte collaris, quæ oræ aperturæ affixa aliquantum prominet, porisque referta eſt, humor nitidus, ac ope lenticulæ undulatio molecularum percipitur; ejusmodi ſucci teſtificantis exhalatione lamella altera alteri ſubſtituitur, incruſtatur, teſtaque augetur; pars novitia veteri mollior, & flexilis aliquamdiu perſiſtit: reparationem fracturæ e contra tentans fragmenta primum removet, dein collari parti læſæ interiori affixo, lacunam membrana operculari claudit, ita tamen, ut ora collaris, reſtitutionem operans, libero aëri expoſita ſit. Sententia dehinc de incremento

cremento teſtarum per juxtapoſitionem, immortalis Reaumur meisque obſervationibus nondum refutatis, ſarta tecta perſiſtit, phænomenaque allata ampliore inquiſitione digniſſima, naturæ conſultis commendanda.

Præter hanc teſtarum amplificationem & reſtaurationem omnibus communem, limax terreſtrium ætatem adultam adeptus marginem aperturæ fimbria, quam *labrum* apellamus, coronidis loco in plerisque firmat; hoc in paucis dentibus armatur, foramen axis in perforatis obturat, umbilicum vero in umbilicatis vel ex parte vel neutiquam tegit. Labro ita ulterius teſtæ augmentum ceſſat; in pauciſſimis tamen, rationem ignoro, novum incrementum inſequitur, ſecunda & tertia *) coronis imponitur. Mutationum harum inſcitia Conchyliologos in errores abduxit, cochlearum enim juniores & adultas, perforatas & imperforatas, labiatas & labri expertes, dentatas & muticas ſpecie diverſas deſcripſerunt, cum cujuslibet animantis & vegetantis character ſpecificus a perfecta & adulta ætate petendus ſit, quæ cochleas muticas paſſim dentatas, perforatas maximam partem imperforatas ſiſtit, umbilicatas **) vero immutatas monſtrat.

*) Hinc ſuturæ, unde auctores ſæpe notas ſpecificas ſumſere, plerumque accidentales & merum labrum relictum denotantes.

**) Cochleam *umbilicatam*, ſi in cavo axis anfractus conſpicui ſunt, ſin minus, *perforatam* dicere oportet.

Alterum, quod noſtra ætate hiſtoriæ naturalis cultores maxime attentos dubiosque tenet, *partium amiſſarum* in limace in integrum *reſtitutio* eſt. Apparitio hæc ſingulariſſima naturæ conſultos melioris notæ Italos, Gallos, Germanos confeſtim, & jure quidem, totos occupavit, detruncatioque generalis genti limacinæ imminere videbatur; pruritus vero multorum ſtrage inclareſcendi opinione citius deferbuit, ſucceſſusque diverſus plurimos ambiguos reliquit. Redintegrationem affirmant clariſſimi viri *Spalanzani*, *Schæffer*, *Lavoiſier*, *Roſe* &c. negant æque clari *Cotte*, *Bomare*, *Schröter*, *Wattel* &c. quivis pro eventu tentaminum; minori tamen jure negatur, centum enim experimenta varias ob cauſas fruſtra ſuſcepta, unam veram & juſtam obſervationem tollere minus valent. Quam primum rumor Italici facinoris ad me venit, idem in noſtratibus limacibus tentare aggredior, eventumque Academiæ Reg. Sc. Paris. anno 1769 commentario mandavi; præcipua ejus conſectaria heic brevi ſiſtere inſtituti ratio jubet:

Quoties caput limaci amputaverim, in detruncato capite mihi ipſi & præſentibus tentacula porrecta, puncta bina nigra, ſuccum nervi optici, maxillamque monſtravi.

Vulnus

Vulnus motu undulatorio continuo partium vicinarum intra pauca temporis minuta adeo diminuebatur, ut fere clauſum videretur.

Partes integraſcentes a veteri corpore candore & pelluciditate clare diſtinguuntur.

In individuis Helicis *Pomatiæ*, Hirudinis *Sanguiſugæ* & *vulgaris* nulla redintegratio ſucceſſit, quælibet enim intra quindecim dies periere.

In Hel. *nemorali* γγ tentacula ad medium abſciſſa intra annum nullum prorſus incrementum cepere, ipſeque limax tanto temporis intervallo absque victu vixit.

In H. *nemorali* φ, cui die 9 Julii 1768 caput totum, partem colli, anticumque pedis uno ictu detruncaveram, redintegratio lente quidem, at ex voto ſucceſſit. 12 Julii centrum vulneris tuberculum flavum occupaverat. 16 Septembris ſola pedis antica pars reſtituta videbatur. 10 Octobris, quo ægrotam meam arculæ immiſi, rureque mecum in urbem duxi, omnia in eodem ſtatu erant. 23 Martii anni 1769 tota hieme derelictam & mortuam habitam in aprico feneſtræ poſui; teſta quidem intra dimidiæ horæ ſpatium

tium contra omnem opinionem exiit limax decollatus, at ne lentis quidem ope ullum redintegrationis indicium inveniebatur; licet jam omnis ſpes reſtitutionis deficeret, hoſpitem tamen, qui ultra octo menſes mecum vixerat, ſervandum cenſui, ut viderem quousque vitam absque capite & nutrimento producere valeret. 19 Maji bina tubercula, vera majorum tentaculorum rudimenta, candida & pellucida absque ulla nervi optici nigredine conſpiciebantur. 1 Junii tentacula dicta in integrum reſtituta erant, ſiniſtrum tamen dextro brevius fuit; nodulus apicis, punctum nigrum, nervus niger opticus, motusque retractilis & flexilis in tentaculis ſolitus æque conſpicuus. 29 Junii novum caput, nova colli pars, anticum pedis, tentaculaque majora æqualia candore & pelluciditate primo aſpectu diſtinguebantur, oris vero, labiorum & minorum tentaculorum nullum adhuc indicium in hac aderat. In alia vero, cui caput die 14 Septembris 1768 detruncatum fuit, labium ſuperius 29 Maji inſequentis anni formatum erat, rimaque oris ſolitaria in conſpectum ſubiit.

In Hel. *nemorali* decollata 14 Septembris 1768, nullum redintegrationis indicium 30 Aprilis 1769 apparuit; die vero 19 Maji latere dextro excreſcentia quædam, cujus in medio punctum nigrum conſpiciebatur,

batur, pullulaverat. 29 Junii pars amputata pedis, dextra pars labii, tentaculumque dextrum reſtitutum erat; perfectam quidem longitudinem hoc nondum habebat, nervus vero opticus niger, ſolito craſſior, novam colli partem & tentaculum ad apicem usque percurrens, puncto nitido terminabatur. Hoc tentaculum valde irritabile minimo tactu ſeſe totum capite condidit. Latere ſiniſtro ſola colli & capitis inferior pars reſtituta erat, absque ullo tentaculi & labii rudimento. Suſceptum iter ab ulteriori integraſcentium capitum inquiſitione avocavit, allatæ vero obſervationes ſumma cura peractæ reſtitutionem partium amiſſarum in limacibus indubitatam præſtant. Addi meretur, Lacertam *agilem*, Lumbricum *terreſtrem* & *variegatum*, Limacem *album* & Helicem *nemoralem* (ut *Naides* & *Nereides* taceam) quorum partes amiſſæ, cauda nempe in illis, tentaculorum alterum in his repulleſcebant, in nemoribus mihi obviam fuiſſe, adeoque experimenta, quæ *audax Japeti genus* noviſſime inſtituit, ab animalibus in animalibus inde a rerum initio ſine ſtrepitu fieri.

In obſervationibus circa redintegrationem Limacum multa ſingularia & ſcitu digna occurrunt,

quibus immorari heic non eſt locus; addendum tamen: præter reſtitutionem partium amiſſarum pluribus vermibus communem, genti limacinæ proprium eſſe, quod de nullo animali hucusque conſtat, inediam ultra annum perferre, tantumque temporis intervallum absque capite organisque ſenſoriis vivere *), pro re nata teſta exire, circumvagari, rurſusque condi non capitatam, aperturamque operculo, pro lubitu effecto, claudere.

Summa

*) Hæc mihi ſæpius obſervata cum effatis clariſſ. virorum *Argenville* Zoomorph. p. 79. & *Bomare* ægre conciliantur; huic cochleæ 52, quibus caput amputaverat, mox periere, illi ex centenis, quas collegerat, 25 tantum vitam in craſtinum produxerunt; utrique absque dubio limaces impoſuere, teſta haud ad nutum obſervatorum prodeuntes.

Prima de limacis decollati producta vita obſervatio, cujus palmam *Wattel* in libello, Mercure de France 1768, p. 161. clariſſ. *Spalanzani* eripere tentat, neutri debetur; *Ziegenbalg* enim, Profeſſor Matheſeos Havnienſis, Tranquebari Danorum natus, limaces truncatos fere tres menſes vixiſſe, caſuque occiſos fuiſſe, viginti abhinc annis in Mercure danois, Fevrier 1754, indicavit. Limaces, viſcere cinereo cum corde exſecto, ad quatriduum vixiſſe, corque exſectum a pulſu ad aliquot horas ceſſaſſe, ſalivaque madefactum iterum pulſaſſe, hoc quoque circa 12 horas eodem eventu iteratum fuiſſe, jam *Liſter* refert; idem teſtudines terreſtres capitibus præciſis libere & valide ad ſex menſes ambulare *anat.* p. 150.

Summa æque miratione dignum eſt, limaces forma, ut ovum ovo, ſimillimos, teſtas non coloribus & pictura tantum, ſed ipſa figura, exſudare diverſiſſimas; quantus organorum, omnem viſum & conceptum humanum eludentium apparatus huic operi neceſſarius, oculis tamen nil niſi maſſa mera viſcida conſpicitur.

Etenim tot figuras, tot colorum differentias, tot appendices teſtarum diſtincte verbis congruis exponere, ſuperat vires vulgaris Philoſophi; difficilius adhuc ex multiplici teſtarum compage eruuntur earum differentiæ ſpecificæ, quæ niſi conſtituantur juſtæ, manet vaga, obſcura & nunquam capienda Teſtaceorum Hiſtoria.

KLEIN. Plin. ill. p. 3.

GENS TESTACEA.

*) Teſta nulla.

Tentaculis linearibus: LIMAX.

**) Teſta univalvi.

A. Tentaculis linearibus.

a. *quatuor*: HELIX.

b. *binis*: VERTIGO.

B. Tentaculis truncatis.

a. *introrſum oculatis*: ANCYLUS.

b. *poſtice oculatis*: CARYCHIUM.

C. Tentaculis triangularibus: BUCCINUM.

D. Tentaculis ſetaceis.

a. *extrorſum oculatis*: NERITA.

b. *introrſum oculatis*. PLANORBIS.

c. *poſtice oculatis*: VALVATA.

***) Teſta bivalvi.

Siphone duplici.

a. *brevi*: MYTILUS.

b. *elongato*: TELLINA.

c. *nullo*: MYA.

XXII. LIMAX.

Vermis nudus, tentaculis quatuor linearibus, oculis apice majorum.

199. LIMAX LÆVIS.

LIMAX niger, glabriuſculus.

Dan. GLAT - SNEGLEN.

long. 5 lin.
lat. 1 lin.

Corpus totum nigrum, nitidum, absque rugulis nudo oculo in clypeo aut abdomine conſpicuis; nec ſtriæ ullæ margine abdominis ſupra aut ſubtus. Planum inferius utrinque nigrum absque ſtriis transverſis, area media longitudinali ſola pallida Ope lentis in clypeo ſtriæ transverſæ undulatæ, non interruptæ; in dorſo abdominis rudimenta rugularum conſpiciuntur.

Quavis

Nota ſpecifica perperam deſumitur ex diſtantia clypei a capite, aut ex contractione corporis, minima enim attentio monſtrat, hoc vermis pro lubitu mutari.

Menſura in ſumma limacis extenſione acta eſt.

Quavis ætate LIMACE *atro* anguſtior eſt. Rependo collum in longitudinem clypei extendit.

Ob ſummam cum FASCIOLA *terreſtri* ſimilitudinem primum inter limaces locum obtinet, tentacula enim ſi demas, vix diverſus crederetur.

In Muſcis, menſe Octobri, haud frequens.

200. LIMAX ATER.

LIMAX niger, rugoſus.

α *aterrimus, ſubtus pallidus.*

LIMAX ater. LIST. *anim angl.* p. 131. t. 2. f. 17. *Synops.* f. 102. *Tab. anat.* 5. f. 1. 23. *Exer. anat.* t. 3. f. 1 - 5.

LIMAX ater. LIN. *Syſt.* 1.

COCHLEA nuda. GESN. *aquat.* p. 254.

HILL. *anim.* p. 87. t. 3.

SIBBALDI *prodr. nat. hiſt. Scot.* pars 2. lib. 3. p. 34.

ARGENVILLE *Conch.* t. 28. f. 28.

Berl. Magazin. 3. B. p. 341. t. 5. f. 72.

Dan. SORT - SNEGLEN.

Svec. SKOG - SNIGEL.

Germ. DIE SCHWARZE WALD - SCHNECKE.

Angl. BLAK - LIMAX.

Gall. LIMACE NOIRE.

β *ater, carina dorſi pallide virente.*

long. 5 unci.

lat. 3 lin.

Corpus

Corpus ſupra aterrimum; *Clypeus* punctis confertis ſcaber; *Abdomen* dorſo ſulcis rugoſum. Margo ſive ora corporis lineis transverſis atrioribus ſtriata eſt; lineæ hæ in plurimis adultorum obſcurantur, & fere disparent; in junioribus vero, quorum margo pallidus eſt, diſtinctiores ipſam oram teſſulatam reddunt.

Subtus in junioribus corpus album eſt, margine laterali nigricante absque ſtriis conſpicuis. In adultis pagina corporis inferior in tres areas æquales per longitudinem dividitur, quarum media alba, laterales obſcuræ, ſtriatæ, lineis transverſis æqualiter remotis, nigris.

γ *niger, ora luteſcente; ſubtus albus.*

Swammerd. *Bibl. Nat.* t. 9. f. 1.

δ *fuſco-caſtaneus, ora luteſcente; ſubtus albus.*

Limax ſubrufus. List. *Synopſ.* t. 101. a. f. 103.

Limax ſubrufus montanus. List. *app.* t. 2. f. 1.

Limax ſubrufus. Lin. *Syſt.* 3.

Berl. Magaz. 3. B. p. 339. t. 6, f. 71.

ε *obſcure fuſcus, ora ſtrigaque utrinque luteſcente.*

long. 16 - 19 lin.

Hi an varietates *atri*, an ſpecies ambigo. Tentacula in omnibus nigra ſunt. β a vulgari *atro*, abdomine antice paſſim, carinaque dorſi glauco colore imbutis, tantum differt, cæterum magnitudine & omni parte idem. γ & δ ſubtus toti albi; ε ſubtus albus margine ſummo ochroleucho, ſupra utrinque marginem verſus pallidus. Omnes clypeo, punctis confertis ſcabriuſculo, dorſo abdominis ſulcis rugoſo, & ora corporis lineolis nigris transverſis teſſulata, conveniunt; ora vero ochræ colore, ac δ præſer-

tim ſtriga longitudinali clypeum & abdomen utrinque percurrente, discrepant. Pullos & adultos *atri* ſæpiſſime reperi, ſuperiori corporis parte ſemper aterrimos; hinc diverſus color non ætati debetur.

Ex deſcriptione Limacis ſubrufi montani *Liſteri*, in Berl. Magaz. 3. B. p. 340. patet (Liſteri enim append. nulla opera uspiam Hafniæ offendere potui) eundem eſſe cum noſtro δ, at cum figuræ quoque conveniunt, ſynonyma autorum huic ſubſtituere vix dubito. Dies docebit, an ab *atro* diſtincta ſpecies ſit.

α in ſylveſtribus vulgaris. β, in nemoroſis, γ, δ, ε, in horto *Fridrichsbergenſi*, rariores.

201. LIMAX ALBUS.

LIMAX albus.

α *albus totus.*

β *albus margine flavo.*

Eſterretning om Svampe. p. 61.

γ *albus margine & ſincipite aurantio.*

δ *albus tentaculis nigris.*

Dan. HVID - SNEGLEN.

long. 5 unc. 3 lin.

Hic magnitudine, punctis clypei & rugis abdominis præcedentem refert, diverſus tamen colore conſtanter albo, immaculatus, ac flavedine marginis in varietatibus; hæc eadem in junioribus & ætate provectis.

Puncta

Puncta apice tentaculorum, in α, β, γ, ſola-nigra.

Duo ſpecimina reperi, quibus tentaculum dextrum ad medium usque una cum oculo defuit, remanente veſtigio dilacerationis in parte ſuperſtite.

In Nemore & Sylvis agri *Fridrichsdalenſis* haud infrequens; in inſula *Haaöen* ſinus Chriſtianienſis Norvegiæ ſemel reperi.

202. LIMAX CINEREUS.

LIMAX cinereus, maculatus & immaculatus.

LIMAX maximus cinereus, ſtriatus. LISTER *exerc. anat.* t. 3. f. 6. 7. 9. 10.

Dan. GRÅA - SNEGLEN.

Germ. DIE GROSE NACKENDE WALD - SCHNECKE.

long. 5 unc. 3 lin.

α cinereus immaculatus, clypeo nigro-cæruleo.

CORPUS absque omni macula. *Clypeus* ſtriis minimis curvatis, confertis. ABDOMEN glaucum, ſubtus area media longitudinali, alba, lateralibus nebuloſis, ſtriis transverſis remotis albis.

Varietatem β limacis atri e copula var. α *atri* cum variet. α *cinerei* enatam vix ullus dubito.

β cinereus, clypeo maculis abdomine faſciis longitudinalibus nigris.

LIMAX cinereus maximus, ſtriatus & maculatus. LIST. *an. angl.* p. 127. t. 2. f. 15.

Limax cinereus maculatus. Lin. *Syſt.* 4. *It. oel.* p. 62.

Cochlea nuda domeſtica. Swammerd. *Bl. Nat.* t. 8. f. 7.

Sib. *pr. h. nat. ſc.* p. 2. l. 3. p. 33.

Schirach *von Erd- Schnecken* tab. 2. f. 10.

Berl. Magaz. 3. B. p. 336. t. 9. f. 69.

Caput & *Tentacula* ſordide fulveſcentia, puncto apicis ſive oculo, nigro; nervus tamen opticus inconſpicuus. *Collum* ſub clypeo punctatum; ſupra lineis tribus nigris inter tentacula excurrentibus. *Clypeus* maculis flexuoſis, ſive undulatis, atris. *Abdomen* ſtriatum; dorſo faſciis longitudinalibus nigris, utrinque tribus, infima ſubinterrupta. Margo punctatus eſt. *Subtus* totus albus.

Terrefactus caput tantum clypeo condit, abdomenque corripit, minus vero caput, caudam & totum corpus clypeo tegere valet, uti autores dixerunt.

Maximus perperam dicitur, Limaces enim *atri*, *albi* uti quoque varietates *cinerei* magnitudine æquales ſunt. Si definitioni & ſynonymiæ fidendum, Limax, cujus mentionem facit ill. Lin. in itinere *Oeland.* noſter *cinereus* eſt, ſi deſcriptioni, *ater* erit.

γ *cinereus clypeo abdomineque maculis nigris.*

Limax variegatus, ſive faſciatus, cellarius. List. *Synopſ.* f. 104. *tab. anat.* 5. f. 6 - 10.

Argenville *Conchyl.* t. 28. f. 31. Limax cellaria.

Supra undique maculis nigris inſignitus, ſubtus totus albidus. *Clypeus* glabriuſculus, maculis variis nigris. *Abdomen* ſtriatum, dorſo ſeriebus nigris ſeptem interruptis, alternatim anguſtioribus; margine utrinque punctis ſparſis nigris.

δ *cinereus*

δ cinereus, abdomine ſtriis quinque albidis, infima abrupta.

Nulla in hoc macula nigra. *Carina* dorſi alba ſtriam mediam ad extremum caudæ ductam efficit, ſtria extima abrupta eſt.

ε cinereus, abdomine rugis albis cinereïsque, ac maculis nigris ordine duplici.

Clypeus cinereus ſtriis ſubtilibus gyroſis, latere ſiniſtro punctis albis. *Abdomen* rugis papilloſis, plurimis albis, paucis cinereis, dorſo maculæ atræ nitidæ duplici ſerie, duodecim in ſingula. Iuxta baſin utrinque maculæ duæ nigræ, initium novæ ſeriei. *Subtus* area media longitudinalis alba, laterales cinereæ lineis transverſis albis.

ζ cinereus, margine albo.

Supra cinereus, margine & ſubtus totus albus. *Tentacula* nigra. Ora corporis lineis variis nigris transverſim ſtriata.

Varietates hæ, uti *Helicis nemoralis* copula promiſcue junguntur, ſaltem α & ε, individua enim variet. α inter ſe, & α cum ε juncta deprehendi.

Omnes in extenſione æquali fere magnitudine, ζ excepta, quæ minor, ætate forte ab α diverſa.

α vulgaris in nemoroſis; β minus frequens, γ in horto, ε in ſilvis, utraque rara, δ, ζ in umbroſis, nec vulgares.

203. LIMAX SUCCINEUS.

LIMAX ſupra ſubruſus, ſubtus albus.

LIMAX ſubruſus. LIN. *Syſt.* 3.

HILL. *anim.* p. 87. t. 3.

Dan.

Dan. RAV - SNEGLEN.

long. 1½ unc.

Rufo-fuſcus vel ſuccini coloris eſt absque maculis aut cingulo. *Tentacula* majora ſuperne nigra; inter hæc linea obſcura.

In umbroſis

In littoribus apricis Inſulæ *Amagriæ* medio Octobris plures reperi huic ſimillimos, longiſſime ab omni umbra remotos, quod in Limacibus inſolitum.

204. LIMAX AGRESTIS.

LIMAX albidus; tentaculis nigris.

LIMAX cinereus, parvus, immaculatus, pratenſis LIST. *anim. angl.* p. 130. t. 2. f. 16.

LIMAX parvus cinereus. LIST. *Synopſ.* f. 101. tab. anat. 5. f. 11. *Exerc. anat.* t. 3. f. 11.

LIMAX cinereus immaculatus. LIN. *Syſt.* 6.

ARGENVILLE *Conchyl.* t. 28. f. 27.

Berl. Magaz. 36. p. 345. t. 8. f. 74.

SCHIRACH *von Erd- Schnecken* t. 1.

Dan. AGER - SNEGLEN.

Svec. MASK PÄ SÄDEN.

Germ. DIE WIESEN-SCHNECKE, DIE KLEINE GRAUE FELD-SCHNECKE, ACKER-SCHNECKE.

long. 2 - 9 lin.

α *albidus, dorſo cinereo.*

Subtus & lateribus totus albidus, pellucens; dorſo cinereus, linea obſoleta clypeum & abdomen utrinque percurrente.

β *albidus*

β *albidus, atomis nigris ſparſis.*

Linea nigra clypeum & abdomen utrinque percurrit.

γ *albidus, capite nigro.*

δ *albus, immaculatus.*

ε *albus, clypeo flaveſcente.*

Frons, & linea a tentaculis ad clypeum utrinque excurrens, nigra. In hoc & proxime præcedente nullum clypei & abdominis lineæ longitudinalis veſtigium.

Tentacula in omnibus nigra, parva; minora congenerum minima. *Clypeus* a collo diſtingui vix oculo armato videtur, diſtinctus tamen, quod patet, qvoties vermis caput clypeo ſubdit.

Tactus digito quaſi mortuus viſcoſitate adhæret, ac in eo ſtatu totum diem permanet, vereque mortuum crederes; at occidente ſole reviviſcit, victumque quærendo circumvagatur; tum ſi digito rurſus tangatur, tentacula quidem condit, mox vero exſertis, vagando pergit.

In agris & nemoribus ab initio menſis Maji in Decembrem uſque.

205. LIMAX CINCTUS.

LIMAX flaveſcens, clypeo abdomineque cingulo cinereo.

STRÖM *Söndmör*, 1. p. 203. no. 3.

Dan. GIORD - SNEGLEN.

long. 2. unc.

Succini coloris *ſupra* absque omni macula. *Subtus* totus albus. *Clypeus* & *abdomen* dorſo ſtriga cinerea cingitur.

In nemoroſis haud frequens.

206. LIMAX MARGINATUS.

LIMAX cinereus, clypeo utrinque ſtriga obſcura, abdomine pallide cæruleſcente.

Dan. BÖG - SNEGLEN.

long. 2. unc.

Striga *Clypei* in omnibus nota conſtans; maculæ raræ nigræ in *abdomine* paucorum. Carina dorſi alba, utrinque cinereo-ſubcæruleſcens.

Juniores & adulti iisdem coloribus.

In Fago vulgaris primo Vere & Novembri.

207. LIMAX RETICULATUS.

LIMAX fuſcus, clypeo punctis, abdomine lineolis nigris.

SCHÆFFER *Verſuche mit Schnecken* 1. St. t. 1. & t. 2. f. 1. 2. 3.

Dan. NET - SNEGLEN.

long. 1½. unc.

Clypeus punctis ſparſus majoribus & minoribus nigris. *Abdomen* rugis longitudinalibus, maculisque linearibus nigricantibus quaſi reticulatum.

In horto *Roſenburgenſi* & *Fridrichsdalenſi* vulgaris.

208. LIMAX FLAVUS.

LIMAX flavus immaculatus.

Dan. GUUL - SNEGLEN.

long. 1½. unc.

Supra

Supra flavus absque omni macula. *Subtus* albus. *Tentacula* lineaque inter hæc & clypeum nigra. *Clypeus* imprimis flaviſſimus absque rugis concentricis.

Octobri alium ſemel reperi ab hoc diverſum *clypeo* brevi tumido rugis concentricis inſtructo, *collo* albido, hoc, quod rarum in Limace, extenſum clypeo longius. Abdomen pallide flavum, cæterum idem. Tumore Clypei antico, ac collo longiſſime extenſo ſingularis.

In umbroſis Daniæ & Norvegiæ.

209. LIMAX FUSCUS.

LIMAX rufeſcens, linea laterali dorſoque nigricante.

Dan. BRUUN - SNEGLEN.

long. 8. lin.

Supra rufeſcens, dorſo clypei & abdominis macula longitudinalis fuſca; utrinque linea nigricans clypei ſinuata. Subtus albus. Tentacula nigra.

In nemoroſis. Plures magnitudine æquales, juniores forte, Decembre reperi.

210. LIMAX TENELLUS.

LIMAX vireſcens, capite tentaculisque nigris.

Dan. SPÆD - SNEGLEN.

long. 10 unc.

Totus albidus. *Clypeus* in luteum, *abdomen* in vireſcentem colorem aliquantum vergit; ille margine poſtico, hoc apice ſupra nigricat.

In Foſſulis Nemorum foliis aridis repletis; primo vere.

XXIII. HELIX.

Vermis cochleatus, tentaculis quatuor linearibus, oculis apice majorum.

* Depreſſæ:

211. HELIX LAMPAS.

HELIX teſta imperforata, carinata, ſupra planiuſcula, ſubtus gibba; anfractibus cicatricoſis: extimo divaricato.

Dan. DEN RÖDGULE LAMPE.

diam. 31 lin.

Facies

Depreſſæ:	imperforatæ:	211	— —	220.
	perforatæ:	221	— —	227.
	umbilicatæ:	228	— —	242.
Globoſæ:	imperforatæ:	243	— —	254.
	perforatæ:	255	— —	263.
	umbilicatæ:	264	— —	272.
Trochiformes:		273	— —	283.
Ovatæ:		284	— —	286.
Conicæ:		287	— —	304.
Cylindraceæ:		305	— —	313.
Turritæ:		314	— —	329.

Carinatæ; depreſſæ: 211, 212, 216, 217, 221, 222, 226 — 228, 235, 240 — 242.
globoſæ: 263, 269.
trochiformes: 273, 278, 279, 283.

Siniſtrorſæ: 242, 244, 266, 289, 291, 294, 307, 316, 317, 318.

Indigenæ: 215, 223, 230 — 234, 240, 243, 246 — 249, 258, 259, 267, 268, 277, 280, 297, 303 — 305, 316, 317.

Modus & gradus depreſſionis in ſpeciebus diverſis multiplex, quædam totam paginam ſuperiorem, quædam inferiorem depreſſam habent.

Facies H. *Carocollæ* at magnitudine, levitate, &c. diverſa.

Teſta fulva, ſubtilius ſtriata, ſupra minus, ſubtus magis convexa, quam in *Carocolla*, cicatricibusque crebris ubique notata. *Carina* acuta, ſubalbeſcens. *Anfractus* quatuor lati, planiuſculi, leviter eminentes; extimus carinam verſus utrinque depreſſus, aperturam verſus a recto tramite, i. e. a carina vicini deorſum deflectit. Teſta *ſubtus* ad axin elevatior, ſeu gibba, juxta carinam depreſſa, in quibusdam profundius ſtriata. *Centrum* tectum labio aperturæ. *Apertura* transverſa, aurem ſimulat. *Labrum* aurantium, glabrum valde reflexum, in adultis parieti aperturæ oppoſito adnatum. *Faux* luteſcens.

Grana ſimilia ac in Nerita *Rubella* hanc paſſim occupant, quæ detrita annulum ovalem in teſta ſuperſtitem oſtendunt, mihi ova potius peregrini vel paraſitici animalculi, quam pulli Helicis.

In Muſeo illuſtriſſimi Comitis a Moltke, Equitis aurati, ordinis Elephantini, Scientiarum & artium Mæcenatis immortalis, *Lucernarum* hæc rariſſima in duplo conſpicitur.

212. HELIX LUCERNA.

Helix teſta imperforata, carinata, alba, ſupra planiuſcula, ſubtus gibba; apertura transverſa, bidentata.

Dan. DEN HVIDE LAMPE.

diam. 13 lin.

Facies *Placentæ* at decuplo minor, colore, apertura, dentibusque diverſa.

habent, aliæ verticem vel ſpiras minores depreſſas, aliæ e contra has elevatas, illum planiuſculum, vel v. v. habent. Subdiviſio exinde ſumi potuit, at cum foraminulum & umbilicus nota ſplendidior generaliorque ſit, hanc prætuli.

Teſta alba abſque omni ſtria; ſubtus elevatior, pone aperturam ſinuata. *Anfractus* valde depreſſi. Centrum clauſum labro aperturæ. Hæc transverſalis margine labii reflexo, introrſum dentibus duobus notato, extrorſum ſinuato.

In Muſeo reverendiſ. *Chemnitz*, antiſtitis Havnienſis præſidiarii.

213. HELIX MURALIS.

HELIX teſta imperforata, ſubdepreſſa, ſtriata, albida maculis fuſcis; labro albo.

COCHLEA terreſtris depreſſa baſi albida, ſuperius marmoris inſtar variegata, oris apertura ovali & candida. *Gualt. teſt.* t. 3. f. F.

TURBO variegatus LIST. *Synopſ.* t. 74. f. 74.

COCHLEA Pouchet ADANS. *Senegal.* p. 18. t. 1. f. 2.

SERPENTULUS ore labiato, acutangulo, varius. KLEIN. *oſtrac.* p. 9. t. 1. f. 18.

Dan. MUUR-SNEKKEN.

diam. 7 lin.

Teſta depreſſiuſcula ſupra albida, ſtriis obliquis, confertis, profundis notata, ſtrigisque fuſcis inſignita, ſubtus alba glabra, minus ſtriata, immaculata. *Apertura* fuſca; *Labrum* album acutum ſubreflexum. *Anfractus* quatuor.

Quædam ſpecimina maculis fuſcis punctulata ſunt.

In Italia.

214. HELIX.

214. HELIX CARTUSIANA.

HELIX imperforata, ſubdepreſſa, alba, anfractibus ſex.

COCHLEA teſta utrinque convexa alba; ſex ſpirarum, labro vix reflexo. GEOFR. *conchyl.* IV.

SCHRÖTER *von Erd-Konchylien um Thangelſtedt.* p. 205. n. 74. t. 2. f. 27?

Dan. KARTHEUSER-SNEKKEN.

Germ. DIE KARTHEUSER NONNE; DIE WEISSE WALDSCHNECKE.

Gall. LA CHARTREUSE.

diam. 6 lin.

Teſta pellucida alba, utrinque convexa, ſupra tamen depreſſiuſcula. *Anfractus* fere ſex. Labium candidum, craſſiuſculum, ora tenuiori. Juniores perforatæ, foramen tamen in adultis, uti in pluribus congenerum, clauditur.

Synonyma clariſ. *Martini* huic minus conveniunt, figuraque cl. *Schröter* nimis convexa faciem H. *nemoralis* præbet.

In Gallia. Clariſſ. *Geoffroi* dedit.

215. HELIX PELLUCIDA.

HELIX teſta imperforata, depreſſiuſcula, nitida, ſubviriſcente; anfractibus tribus.

HELIX ſubrotunda, convexa, anfractibus tribus, apertura ſubrotundo-lunata, STRÖM. *act. Nidr.* vol. 3. p. 435. t. 6. f. 15.

Cochlea

Cochlea teſta tota pellucida, fragili, ſubvireſcente, utrinque convexa, ſpiris tribus. Geofr. *conchyl.* VIII.

Schröter *Erd - Schnecken um Thangelſtedt.* p. 137. n. 21. t. 1. f. 11.

Dan. glas - sneglen.

Gall. la transparente.

diam. $\frac{1}{8}$ - $1\frac{1}{2}$ lin.

Primo intuitu glebulam viſcoſam mentitur, eamque ob cauſam inquirenti facile imponit.

Teſta tenerrima vitrea, pellucidiſſima, politiſſima, & perquam fragilis; animalculo foeta flaveola, vacua albido - virens apparet; utrinque convexa absque ſtriis aut foramine umbilicali. *Anfractus* ſupra vix tres, ſubtus unicus. Apertura lunata, repanda.

Limax albidus tempeſtate pluvia vivaciſſimus, puncta tentaculorum nigra ſive oculos omni momento citiſſime in corpus retrahit, ac rurſus protrudit, nervo optico inconſpicuo, ſerena vero, aut in teſta latet, aut extra eandem quiete moratur, vel in perpoliendo teſtam occupatur. Hæc politio non uti in Helice *hortenſi* ope maxillæ peragitur, ſed organo huic uſui & ipſi H. *pellucidæ* proprio. *Pallium* nempe, quo limaces teſta inſtructi cinguntur, ſupra dorſum hujus aliquantum protenditur, ac a dextra in laciniam longam dividitur. Pars corpori incumbens albida eſt, ac atomis nigris ſparſa, oram aperturæ acutam obvolvit, ac, clypei inſtar in nudis limacibus, anticam dorſi partem ad baſin tentaculorum usque condit; lacinia alba vero, in teſtam revoluta, octavam teſtæ partem regit, ac crebris frictionibus undulatoriis in verticem protenditur. A perpendiculari ad angulum acutum interdum utrinque moveri vidi, at non ultra.

Motus cordis, ſeu muſculi candidi, periſtalticus in latere ſiniſtro pellucidam teſtam transparet. Vita limacis æque ac teſta fragiliſſima;

fragiliſſima; octiduum enim in theca ſervati exanimes conperiebantur.

Limacem in aqua perire affirmat Clariſ. *Geoffroi*; hoc ſeſe nobis, etiamſi periculum in pluribus fecerimus, minus probavit; in aquam enim immiſſi, fundum ſtatim petierunt, ac totum corpus e teſta protulerunt, tentacula tamen in aqua, quod pluribus terreſtrium commune, non exſeruerunt; Hoc ſitu immobiles mortuos quidem ſimulant, at intra paucas horas partim aqua exeunt, & obſervatori minus cauto perduntur, omnes vero, ſi ex aqua, immo poſt elapſum duodecim horarum ſpatium, tollantur, mox tentacula porrigunt, incedunt, ac brevi ſeſe teſta condunt.

In *Jungermannia* platophylla ſub finem Auguſti, in fimo equino plures Octobri, & in virgultis medio Decembris reperi.

216. HELIX RINGENS.

HELIX teſta imperforata, ſubcarinata, apertura reſupinata, utrinque dentata.

Helix teſta ſubcarinata, imperforata, convexa, apertura reſupinata: labio poſtice quadruplicato. LIN. *Syſt.* 664.

Cochlea variegata, ſeptem dentibus donata, duobus in fundo oris & quinque ad labrum claviculæ. LIST. Syn. t. 99. f. 100.

ARGENVILLE Conchyl. 1. t. 28. f. 13. 14.

ANGYSTOMA fimbriatum & dentatum clavicula inverſa, i. e. ore obtorto ad turbinis apicem reſpiciente. KLEIN. *oſtrocod.* p. 11. §. 31. c. 1.

BON. *Muſ. Kirch.* p. 471. f. 331. 332.

Berl. Magaz. 2. B. p. 623. t. 4. f. 42.

LESSER. Teſtac. p. 118. n. X. §. 42. X.

Dan. VRÆNGE SNEKKEN.

Germ. DAS GEZÄHNELTE MUNDSTÜCK.

diam. 13 - 17 lin.

Teſta orbiculata pellucida utrinque convexa, ſubcarinata, candida, maculis ex fulvo-aureis ſubtus & ad carinam ſparſis. *Anfractus* quinque faſcia lineari maculis concolore juxta junĉturam verticem verſus evaneſcente. Subtus anfractus unicus, qui non in circulum abſolvitur, ſed ultra medium recta extenſa in aperturam reſupinatam finitur; hinc in inferiori pagina rima transverſalis, quaſi radius circuli. Hic aperturæ ſitus ſuperiorem paginam ſpectans huic ſpeciei propriiſſimus eſt. *Apertura*, ſi excavationem ſpectes, lunata eſt, ſi extenſionem labri, fere circularis, nullo modo elongata, nec ut in H. *Carocolla*. *Labium* exterius reflexum candidum, interius dilatatum, ſpiris oppoſitis adnatum. *Dentes* compreſſi, quinque intra labium & tres in ipſa carina anfractus. *Sinus* duo vel tres in exteriori labri parte.

In Muſeo *Moltkiano*.

217. HELIX SINUATA.

HELIX teſta imperforata, ſubcarinata, brunnea, carina candida, apertura transverſa dentata, poſtice triplicata.

COCHLEA ſubrufa, quatuor dentibus ex parte columellæ donata, adverſus quos extra totidem ſinus conſpicui. LIST. *Syn.* t. 97. f. 98.

COCHLEA ſubrufa quatuor dentibus donata, quibus tamen extra tantum duo ſinus reſpondent. LIST. *Syn.* t. 98. f. 99.

ANGYSTOMA fimbriatum & dentatum, tetraodon, ſubrufum, quatuor dentibus ſinus formantibus. KLEIN, *oſtroc.* p. 11. §. 31. d. 1.

Dan. TAND- BUGT- SNEKKEN.

diam. 9 lin. *Teſta*

Teſta flavo - brunnea, ſcabriuſcula, oculo armato punctis minimis convexis pulchre cooperta, ſupra & ſubtus planiuſcula. *Anfractus* quinque teretes, carina in medio candidiſſima; *Apertura* transverſalis, elongata. *Labrum* reflexum: ſub ſiniſtro labio extrorſum ipſi ſpiræ plicæ tres impreſſæ, introrſum in apertura dentes quatuor. Canaliculus in ipſo centro inter ſpiram & columellam deſcendens. Variat teſta fuſco colore.

Sinus centro proximi labro, prout augetur, conduntur.

In America.

218. HELIX LACTEA.

HELIX teſta imperforata, depreſſa, griſea, atomis lacteis, apertura fuſco - ſanguinea, labro concolore dentata.

Dan. DEN GRÜNEDE SNEKKE.

α *griſea, immaculata.*

diam. 12 lin.

β *griſeo - luteſcente, faſcia media lactea.*

diam. 10 lin.

γ *alba, faſciis quatuor fuſcis.*

COCHLEA faſciata, clavicula compreſſiore, labro repando, ex fuſco variegata & faſciata. LIST. *Syn.* t. 51. f. 49.

PETIV. *gazophyl.* t. 153. f. 8.

diam. 14 lin.

ε *alba, faſciis tribus obſoletis rufis.*

Cochlea & faſciis & ipſo ore nigricante unico dente columella diſtincta. List. *Syn.* t. 95. f. 96.

diam. 18 lin.

Licet magnitudine adeo differunt, quævis tamen incrementum teſtæ jam abſolverat.

Facies H. *nemoralis*, at griſeo-alba atomis confluentibus calcareis obducta. Anfractus quinque; major, qua apertura cingitur, minus ſolito inclinatur, areamque centri, quam in cæteris, elatiorem habet. *Apertura* & paries oppoſitus ſaturate cruentus, ſive rufo-fuſcus, nitidus; labium aperturæ concolor, in minoribus ſubreflexum, in majoribus dilatatum, dente in margine interiori, ſolitario. In γ dens minus diſtinguitur, labrum vero dentis loco ſubſinuatum eſt.

219. HELIX VERMICULATA.

Helix teſta imperforata, ſubdepreſſa, faſciis rufis, lineolis albis, labio reflexo candido.

Dan. NUDEL-SNEKKEN.

1. *lævis, faſciis quatuor rufis.*

Cochlea terreſtris vulgaris quatuor faſciis cincta, maculata & elegantter variegata. Gualt. *teſt.* t. 1. f. G.

Cochlea Piſana hortenſis. Petiv. *gazophyl.* t. 52. f. 11.

diam. 12 lin.

Testa glabra absque atomis linearibus, faſciæ duæ inferiores anguſtiores integræ, ſuperiores latiores teſſellatim interruptæ; hinc vertice pulchre variegata.

2. *lineo-*

2. *lineolata, faſciis quatuor rufis.*

diam. 13 lin.

Testa tota extus lineolis albis confertiſſimis atomorum inſtar in faſciis & in interſtitiis obſita. Faſcia uti in præcedente, at in quibusdam obſoletæ.

3. *lineolata faſcia, unica rufa.*

diam. 10 lin.

Hæc minor, faſcia media rufo & albo teſſulata, cæterum uti præcedens atomis linearibus obruta.

Hujus varietates porro videntur figuræ *Gualtieri* A. & B. t. 3. & *Bonani* 333. in Muſ. Kirek. Cl. 3.

Licet ſpecimina primæ varietatis adeo lævia ſint, ut ne ullum quidem lineolarum veſtigium reperiri queat, & ſequentium lineolis undique veſtita, ſpecie tamen differre vix crederem, cum ſtructura & magnitudine eadem, lineolæque forte detritæ ſint. *Teſta* utrinque convexa, vertice planiuſculo. *Apertura* candida; *Labrum* dilatatum reflexum, candidum, nitidum. *Anfractus* quinque.

In Italiæ ſabuloſis juxta torrentes.

220. HELIX punctata.

Helix teſta imperforata, ſubdepreſſa, griſea, faſciis fuſcis, atomisque lacteis, apertura fuſca, labro reflexo albo.

Dan. punkt-snekken.

diam. 10 - 12 lin.

H. *lacteam & vermiculatam* refert, area vero centrali minus elevata, apertura edentula & labro albo ab illa, apertura & pariete

oppoſito fuſco ab hac differt, forte trinæ hæ meræ varietates, loco natali inquirendæ.

Teſta griſea, ſive pallida, punctis albis notata, ac faſciis quatuor fuſcis diſtincta, ſuperioribus plerumque confluentibus; vel ſi mavis fuſco-brunnea faſciis tribus albis; quouis reſpectu faſciarum una paginæ inferiori inſcribitur. *Anfractus* quinque. *Apertura* ſubfuſca, paries oppoſitus nitide brunneus. *Labrum* ſubreflexum album, in junioribus margine inferno centrum verſus denticulum mentitur. *Juniores* perforatæ ſunt, nec foramen clauditur, antequam *labrum* omnibus numeris abſolutum ſit.

In Italia.

221. HELIX EXILIS.

HELIX teſta perforata, depreſſa, ſubcarinata, pallida, faſcia rufa albæ adnata; anfractibus ſtriatis.

Dan. DEN TYNDE SNEKKE.

diam. 10 lin.

In plurimis H. *groſſæ* accedit, at figura differt, cum ſit depreſſa, hinc valde dubius, an varietas illius dici poſſit; *Teſta* pellucida, tenera, albida, ſupra depreſſa, argute transverſim ſtriata, ſubtus convexa, alba, ſtriis minus diſtinctis. *Anfractus* quinque carinati; carina candida eſt; huic infra approximata eſt faſcia parallela anguſta, rufa. Centrum ſubtus pervium, area centri rufofuſca. *Apertura* lunata margine acuto.

In Muſeo clariſſ. *Fabricii*, Oeconomiæ Profeſſoris Havnienſis.

222. HELIX LÆVIPES.

HELIX teſta perforata, ſubdepreſſa, ſubcarinata, ſiniſtrorſa, pallida, faſcia rufa albæ adnata.

Dan. DEN LÆTTE SNEKKE.

diam. 12 lin.

Prima

Prima facie H. *exili* ſimilis eſt, at valde diverſa.

Teſta ſiniſtrorſa pellucida, tenera, ſupra pallide luteſcens, minus depreſſa quam in H. *exili*, anfractibus internis dehinc elatioribus, ſubtus magis convexa, alba, absque macula centri. *Anfractus* quinque transverſim ſubtiliſſime ſtriati, uti fere in omnibus teſtis, at alia nota minus vulgari inſtruuntur, ſtriis ſc. ſpiralibus ſubrugoſis, armato oculo videndis. Faſcia anguſta duplex, alba & rufa carinam tegit uti in H. præcedente. *Centrum* ſubumbilicatum, vix ad medium axis pervium. *Apertura* lunata margine acuto.

In Muſeo egregii artificis *Spengler*, Muſei regii inſpectoris perquam digni, rariſſima.

223. HELIX CRYSTALLINA.

HELIX teſta perforata, depreſſa, candida, nitida, diaphana.

Dan. KRISTAL-SNEKKEN.

diam. 1 lin.

Teſta ſupra planiuſcula, ſubtus convexa, limace foeta fuſco-lutea; vacua hyalina pellucidiſſima. *Anfractus* ſupra quatuor vel quinque, ſubtus unicus; hic paginam inferiorem adeo occupat, ut foramen centri umbilicus dici vix mereatur.

Dum beſtiola incedit, anfractus teſtæ extimus cryſtallinus, candidiſſimus, reliqui fuſco-lutei ex pellucenti pallio.

In Muſcis, rara.

224. HELIX RADIATA.

HELIX teſta perforata, ſubdepreſſa, ſtriata, ſubtus convexa, radiata.

COCHLEA terreſtris umbilicata, transverſim ſtriata, tota albicans. GUALT. *teſt.* t. 2. f. 3?

COCHLEA

Cochlea umbilicata fuſca, ſive variegata, capillaribus ſtriis leviter exaſperata. List. *Synopſ.* t. 70. f. 69.

Petiv. *gazophyl.* t. 104. f. 1.

Dan. straale- snekken.

diam. 10 lin.

Teſta craſſa ſtriis transverſis elevatis, confertis, albo & rufo variegata, ita tamen ut ſpira major rufa, minores maximam partem albæ ſint. Supra ſubdepreſſa; ſubtus convexa, faſcia in margine & alia in medio utraque alba, abrupta. Umbilicus foramen potius dicendus, in eo enim ſpiræ veſtigia inconſpicua; ſtrigæ ſive radii ſex vel ſeptem albi ab hoc in paginam ſuperiorum divergentes. *Apertura* lunata absque labro; Teſta intus tota alba.

In Gallia meridionali.

225. HELIX striatula.

Helix teſta perforata, ſubdepreſſa, ſtriata, alba, faſcia rufa.

Dan. stribe - snekken.

diam. 5 lin.

Teſta alba pellucida, ſupra depreſſa, vertice tantiſper elevato, ſtriis argutis exarata, ſubtus convexa læviuſcula; Faſcia unica rufa ipſam carinam ambit. *Anfractus* fere ſex. *Labium* craſſiuſculum album; Foramen apertum, claudi tamen in adultis ſuſpicor. In altero exemplari faſcia abrupta eſt.

In Gallia.

226. HELIX

226. HELIX ALBINA.

HELIX teſta perforata, planiuſcula, carinata, alba, ſubtus gibba, apertura quadrangulari.

LIST. *Syn.* t. 86. f. 86?

Dan. DEN HVIDE TAND-SNEKKE; KREBS-ÖIET.

diam. 3 lin.

Prima facie H. *explanatam* aliquantum refert, nota vero ſplendida, dente in medio anfractus aperturæ oppoſiti mox diſtinguitur.

Teſta alba immaculata (injuria forte aëris). *Anfractus* ſupra tres, medio parum convexi, ſubtus unicus valde convexus, margine acuto. Centrum ſubtus perforatum. *Apertura* figuram ſubquadratam mentitur.

In Muſeis paſſim.

227. HELIX MACULATA.

HELIX teſta perforata, planiuſcula, ſubcarinata, alba, atomis fuſcis, ſubtus gibba, faſciis linearibus.

Dan. DEN SPÆTTEDE KANT-SNEKKE.

diam. $4\frac{1}{2}$ lin.

Teſta alba, ſupra planiuſcula, faſciis duabus ex maculis minimis fuſcis, ſpatio intermedio lineari albo. Summus margo, ſeu ipſa carina alba, ſubtus valde convexa, lineis juxta marginem imprimis concentricis fuceſcentibus. *Anfractus* ſupra tres, ſubtus unicus; *Centrum* ſubtus pervium. Junior eſt, nec abſoluta.

228. HELIX EXPLANATA.

HELIX teſta umbilicata, plana, carinata, alba, ſubtus gibba; apertura ſemicordata.

HELIX teſta carinata umbilicata, planiuſcula, ſubtus gibba; apertura ſemicordata. LIN. *Syſt.* 658.

COCHLEA terreſtris depreſſa & umbilicata, albida, faſcia punctata rufa per medium anfractuum & maculis concoloribus eleganter depicta. GUALT. *teſt.* t. 3. f. Z.

COCHLEA alba umbilicata, limbo acuto circumdata, clavicula omnino plano ſive compreſſa. LIST. *Syn.* t. 64. f. 62.

COCHLEA alba umbilicata, margine acuto, clavicula plana. LIST. *Syn.* t. 80. f. 81.

COCHLEA trium orbium. LIST. *Syn.* t. 140. f. 46. & 47.

Dan. PLAT - SNEKKEN.

diam. $5\frac{1}{2}$ lin.

Teſta glabra, alba, ſubtiliſſime transverſim ſtriata, immaculata, figuræ tamen *Gualtieri*, niſi quod major ſit, exacte convenit. Supra planiſſima, ſubtus valde convexa, margo hinc anfractuum acutus, ſive carinatus, paginam ſuperiorem ſpectat. *Anfractus* ſupra quinque, ſubtus in umbilico tres viſibiles. *Apertura* formam cordis diſſecti præfert. Deſcriptiones *Liſteri* conveniunt, figuræ t. 64. & 80. quodammodo, t. 140. optime.

Injuria forte æris dealbata Linneo *albella* dicitur.

In Muſeo perilluſtris a *Suhm*, a conſiliis Conferentiæ.

229. HE-

229. HELIX OBVOLUTA.

HELIX teſta umbilicata, utrinque depreſſa, ſpiris obvolutis.

Dan. SKÆV MUNDEN.

Germ. DIE SAMMET SCHNECKE MIT DREYECKIGTEM MUNDE.

Gall. LA VELOUTEE A BOUCHE TRIANGULAIRE.

α albida, glabra, apertura triangulari, labro reflexo.

COCHLEA terreſtris umbilicata, fuſca, ore triangulari. GUALT. *teſt.* t. 2. f. S.

COCHLEA terreſtris, foveata, complanata; SCHLOTT. *act. helv.* Tom. 5. p. 280. t. 3. f. 16.

Berl. Magazin 2. B. t. 3. f. 37.

SCHRÖTER *Erdkonchylien um Thangelſtedt*, p. 196. n. 67. t. 2. f. 24. a.

diam. 4 - 5 lin.

Teſta albida, ſupra planiuſcula, centro depreſſo, ſubtus convexa; armato oculo ſubtiliſſime ſtriata. *Anfractus* ſex & ſeptem contorti. *Umbilicus* patulus, profundus. *Apertura* triangularis; Labrum reflexum, candidum, politum, parum ſinuatum.

β fuſca, hiſpida, apertura lunari.

COCHLEA teſta fuſca, hiſpida, ſupra plana, ſubtus perforata, ſpiris ſex, apertura triangulari, labro reflexo luteo. GEOFR. *teſt.* 12.

SCHRÖTER *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 194. n. 66. t. 2. f. 24

diam. 4 lin.

Teſta rufo-fuſca; ſetis hiſpida; Anfractus quinque & ſex; Apertura formam lunæ in primo quadrante, non trianguli, præfert; cæterum eadem, junior enim incrementum nondum abſolverat, formaque aperturæ triangularis labro ſinuoſo formatur. Aperturam claudit maſſa calcarea albiſſima, ut in H. *pomatia*. Setæ forte in hac, ut in H. *hiſpida* ætate teruntur.

Structura, anfractibus ſibi invicem obvolutis adeo *Planorbem contortum* refert, ut ejus generis ſeu aquaticam eſſe diceres; at labro ſplendido reflexo terreſtrem ſe probat.

Perfectam α clariſſ. *Baſſi* ex Italia, β vero clariſſ. *Schröter* e Saxonia miſit.

230. HELIX CELLARIA.

HELIX teſta umbilicata, depreſſa, luteſcente, nitida, ſubtus lactea; apertura larga.

SCHRÖTER *von Erdkonchylien um Thangelſtedt*. p. 200. n. 70. f. 73. t. 2. f. 26.

Dan. KIELDER-SNEKKEN.

diam. $3\frac{1}{2}$ lin.

Teſta glaberrima, pellucida, politiſſima, ſupra planiuſcula, ſubtus convexa, limace foeta, lutea ſive rufo-fuſca; vacua ex albo luteſcens, ſubtus in utroque caſu lactei coloris. *Anfractus* ſupra quinque, ſubtus unicus. *Umbilicus* profundus. *Apertura* larga, lunata.

Limax totus albus. *Nervus* opticus cæruleus; *Oculus* niger. Rependo tentacula alternando, licet nullum obſtaculum obviam ſiſtitur,

ſiſtitur, ad medium dorſi uſque retrahit, ac momento rurſus porrigit. Quoniam corpus beſtiolæ pellucidum eſt, motus nervi & puncti viſorii retrogradus & progreſſivus non absque voluptate conſpicitur.

In cellis vinariis Havniæ copioſe.

231. HELIX ROTUNDATA.

HELIX teſta umbilicata, ſubdepreſſa, lineis transverſis elevatis, maculisque ferrugineis.

COCHLEA teſta ſupra convexa, ſubtus concava, ſtriata, cornea lineis transverſis ferrugineis, quinque ſpiris rotundatis. GEOFR. *Conchyl.* 9.

ARGENVILLE *Conchyl.* 2. t. 9. f. 10.

SCHRÖTER *von Erdkonchylien um Thangelſtedt*, p. 199. n. 68. & 69. t. 2. f. 25. at non ſynonyma.

Dan. KNAP-SNEKKEN.

Germ. DER KNOPF.

Gall. LE BOUTON.

diam. $2\frac{1}{4}$ lin.

Teſta ſupra planiuſcula, ſubtus convexa, alba, pulchre ſtriata; variat maculata & immaculata omni ætate; utriusque enim varietatis juniores $\frac{1}{2}$ lineæ diametro & adultas ſæpius vidi. Maculæ transverſæ ferrugineæ teſtam teſſulatam reddunt. *Anfractus* 4, 5, 6 ſupra, ſubtus unicus, at in umbilico valde perforato proſpiciuntur tres minores. *Apertura* arcuata absque labro.

Limax albus, punctis minimis obſcuris poſtice in dorſo, antice niger eſt, uti *caput & tentacula*; *Oculus* ater. Tentacula

inferiora tubercula minima referunt. Raro e teſta exit; quoties enim elicere tentarem, brevi partem corporis in ipſa apertura produxit, at omnes licet cautelæ adhiberentur, tranquilla ut omnia eſſent, & ne halitum auræ quidem ſentiret, duæ fere horæ præterierunt, antequam foris apparuerit.

In palis putridis, truncis & muſcis Daniæ vulgaris, Norvegiæ vero rarior.

232. HELIX PULCHELLA.

HELIX teſta umbilicata, ſubdepreſſa, alba, glabra, apertura circinnata; labro tereti, reflexo.

COCHLEA teſta utrinque convexa, ſubtus perforata, ſtriata, alba, quatuor ſpirarum, ore reflexo. GEOFR. *Conchyl.* 6.

Dan. DEN LILLE HVIDE SNEKKE.

Gall. LA PETITE STRIEE.

diam. 1 lin.

Teſta tota alba, glabra, ſubpellucida, ſupra planiuſcula, ſubtus aliquantum convexa. Vertex teſtæ, dum limax eam inhabitat, luteolus. *Anfractus* vix quatuor, ſubtus unicus. *Apertura* fere circularis, limbo elevato, tereti, reflexo. *Teſta* quidem ſtriata eſt, at ſtriæ microſcopio tantum viſibiles.

Limax lacteus: tentacula minora armato etiam oculo difficulter conſpicua; punctum majorum nigrum ſive oculus ad minimum tactum velociſſime ad medium fere dorſi retrahitur: Beſtiola difficillime e teſta elicitur, nec apparet, Clariſ. *Geofroi* eam unquam vidiſſe. Diu dubius fui, an eſſet limax; maſſa enim gelatina foris prodibat, ſeſe movebat, nec ullum artuum veſtigium prodebatur, tandem oculi & tentacula ſeſe ſpectando præbuerunt.

Striatam

Striatam *parvam* f. 7. t. 9. part. II. Conchyl. *Argenville* huic perperam tribuit Clariſſ. *Geofroi*; ipſe enim autor eandem eſſe ac ſtriata *magna*, quæ eſt Coch. V. *Geofr.* pronunciat, ac figura probat, in qua nec labrum, noſtræ *pulchellæ* proprium, conſpicitur.

In humidis muſcoſis frequens.

233. HELIX costata.

Helix teſta ſubdepreſſa, umbilicata, cinerea; ſpiris coſtatis; apertura circulari; labro albo, reflexo.

Dan. RIB-BEEN-SNEKKEN.

diam. 1 lin.

Teſta convexiuſcula, opaca, ſupra fuſceſcens, ſubtus pallida. *Anfractus* quatuor externe coſtati, ſive plicis transverſis armati; in majori anfractu triginta numeravi; hic ſubtus glaber eſt. *Apertura* circularis; vix duodecima peripheriæ pars ab anfractu oppoſito interſecatur, cum in antecedente fere quarta. Coſtæ, ſi teſta lumini obvertatur, in ſola apertura transparent. *Labrum* album, planum, reflexum.

Hujus plurima ſpecimina miſit Clariſſ. *Martini* ſub denominatione *Serpentuli exigui* Berl. Mag. 4. B. p. 267. t. 8. f. 25, at nec deſcriptio nec figura ſatis convenit, cum de ſtriis elevatis ſive coſtis ac labro reflexo altum ſilentium ſit, fluviatilisque dicatur, ſpeciminum labra reflexa terreſtrem probant.

In loco elevato *Fridrichsdalenſis* ab aquis remoto, rariſſima.

234. HELIX

234. HELIX nitida.

Helix teſta umbilicata, ſubdepreſſa, fulvo-cornea, pellucida, ſubſtriata, apertura larga.

Cochlea minor lucens. Petiv. *gaz.* t. 93. f. 14.

Cochlea minuta, leviter depreſſa. Swamm. *Bibl. Nat.* t. 8. f. 3.

Cochlea teſta utrinque convexa, ſubtus perforata, cornea pellucida, nitida; quinque ſpirarum Geofr. *Conchyl.* 7.

Argenville t. 28. f. 4. at noſtris duplo major.

Helix teſta umbilicata, planiuſcula, anfractibus quatuor, apertura ſubrotunda lunata. Ström. *act. nidroſ.* 3. p. 435. t. 6. f. 16.

Schröter *von Erdkonchylien um Thangelſtedt* p. 201. n. 71.

Dan. glis snekken.

Germ. die glänzende wiesen-schnecke.

Gall. la luisante.

diam. 1 - 4 lin.

Teſta nitida, pellucida, ſubſtriata, limace foeta, nigra: vacua brunnea: *Anfractus* quatuor vel quinque, ſubtus unicus. Apertura larga, lunata; margo acutus.

Limax pallide cæruleus.

Aliam albam, hyalinam, pellucidiſſimam, ſtriatam reperi; hujus an ſequentis varietas?

In muſcoſis humidis, præſertim in *Sphagno*, ac in ſcala lapidea horti *Fridrichsbergenſis*.

235. HELIX

235. HELIX POLITA.

HELIX teſta umbilicata, ſubdepreſſa, ſubcarinata, candida, ſtriata.

HELIX teſta ſubcarinata, umbilicata, convexa, ſtriata, ſubtus gibboſiore, apertura ſubrotundo-lunata. LIN. *Syſt.* 659?

Dan. FISKE-ÖIET.

diam. $2\frac{1}{2}$ lin.

Teſta convexa, candidiſſima glaberrima, oculo armato argute ſtriata; facie & ſtatura H. *hiſpidæ*. *Umbilicus* patulus; *Apertura* lunata. In uno ſpecimine intra marginem aperturæ labium duplex ſive margo acutus elevatus, qualis unicus in junioribus H. *arbuſtorum*, videtur. Anfractus quinque.

In ripis torrentum *Lombardiæ*.

236. HELIX ERICETORUM.

HELIX teſta umbilicata, depreſſa, luteſcente, faſcia unica vel pluribus fuſcis.

Dan. LYNG-SNEKKEN.

Gall. LE GRAND RUBAN; LE RUBAN PLAT.

α *faſcia unica.*

diam. 11 lin.

COCHLEA terreſtris depreſſa & umbilicata, umbilico ſatis conſpicuo candida, transverſim ſtriata, unica faſcia pulla ad ipſum marginem primi orbis diſtincta. GUALT. *teſt.* t. 3. f. O.

Cochlea teſta alba ſupra plana, ſubtus ſinu amplo perforato, ſpiris quinque, faſcia ferruginea. Geofr. *teſt.* 13.

Teſta ſuborbicularis, luteſcens, ſupra depreſſa, ſubtus planiuſcula. *Faſcia* unica fuſca in medio majoris ſpiræ, in reliquis nulla. *Umbilicus* largus ad verticem usque; ſpiræ tres in eo conſpicuæ. *Apertura* lunata, faſcia fuſca pellucente. *Labrum* nullum. *Anfractus* fere ſex.

β *faſciis quatuor.*

Cochlea cinerea albidave faſciata ericetorum List. *an. angl.* t. 2. f. 13.

Berl. Mag. 26. p. 613. t. 4. f. 46.

diam. 7 lin.

Faſciæ ſuperiores inferioribus latiores ſunt, *Spiræ* quatuor in umbilico conſpicuæ.

γ *faſciis tribus.*

Cochlea terreſtris umbilicata, exigua, leucophæa, lineis alba pullaque circumdata. Gualt. t. 2. f. M.

diam. 5 lin.

Anfractus duo in umbilico conſpicui.

δ *alba faſciis novem.*

Cochlea terreſtris, umbilicata, minor, lineis rufis picta. Gualt. *teſt.* t. 2. f. L.

diam. $4\frac{1}{2}$ lin.

Anfractus

Anfractus non adeo depreſſi, quam in α, meræ tamen varietates videntur, β, γ, ε, vix ullum dubium admittunt.

Faſciæ fuſcæ vel rufæ. Vertex ſummus in β, γ, δ, fuſcus eſt. In δ octo priores faſciæ tenuiſſimæ velut per paria poſitæ; terium par fere coadunatum, faſcia nona lata eſt. Variat faſciis octo, ſupremis duabus æqualibus latis; inferiores tenuiſſimæ, in figura *Gualteri* punctulatæ. *Anfractus* duo in umbilico conſpicui.

In Italia.

237. HELIX ZONARIA.

HELIX teſta umbilicata, depreſſa; apertura transverſali; labro candido, reflexo.

HELIX teſta umbilicata, convexa, depreſſiuſcula, apertura oblongiuſcula marginata. LIN. *Syſt.* 681.

Dan. BÆLTE-SNEKKEN.

diam. 11, 12, 13 lin.

α *alba, faſcia dorſali unica rufa.*

Faſcia in medio anfractus majoris.

β *alba, immaculata faſciis, dorſalibus duabus rufis.*

Faſcia in medio anfractus, ſuprema anguſtiſſima.

γ *alba, maculis lacteis, faſciis duabus dorſalibus rufis.*

Faſciæ in medio anfractus; Teſta ſupra maculis undulatis transverſalibus, ſubtus minoribus concentricis albis notata. Variat pellucida, ſubtus transverſim ſtriata.

δ *alba, faſciis dorſalibus tribus rufis.*

Teſta candidiſſima, polita; faſciæ tres in medio anfractus, ſuprema latior reliquis.

ε *alba, faſciis dorſalibus quinque rufis.*

Teſta candidiſſima, polita, faſciæ 2 & 5 (a baſi numerando) reliquis latiores.

ζ *alba, faſciis duabus ventralibus rufis, tertia dorſali.*

Faſciæ tres, ſuprema anguſta juxta junĉturam anfractus, media infra marginem paginam inferiorem ſpectat, infima in ipſa inferiore pagina, utraque lata eſt. Cæterum a ſociis ſplendide differre videtur pagina ſuperiore, non depreſſa, ſed in verticem elevata, anfractuque extimo aperturam verſus gibbere transverſo inſignito.

η *alba, faſciis binis ventralibus, binisque dorſalibus rufis.*

A præcedenti tantum differt faſcia altera anguſtiſſima dorſali; gibbus uti in antecedente.

ϑ *alba, faſciis quatuor rufis, ſuprema anguſtiſſima.*

Faſciæ ventrales & inferior dorſalium æquales.

ι *alba, faſciis quinque rufis, dorſalibus anguſtis.*

Teſta adeo depreſſa, ut ſubcarinata videatur; faſciæ tres dorſales æquales.

ι *lutea*

κ lutea tota.

Maculæ ſparſæ obſolete albidæ, faſciæque complures lineares confertæ, obſcuræ, extimum anfractum cingunt. Labrum uti in ſociis candidum.

λ lutea, faſcia rufa.

Faſcia lata rufa infra marginem extimi anfractus hanc a præcedenti diſtinguit.

μ pallide incarnata, faſciis marginalibus albis & rufis alternis.

Faſciæ inæquales ſex in ipſo margine majoris anfractus albo & rufo alternantes.

ν ſupra pallide incarnata, ſubtus alba, faſciis albis & rufis alternis.

Faſciæ inæquales plures totum anfractum occupant, ſuprema latiſſima rufa.

ο alba maculata, faſciis rufis ſex inæqualibus.

Faſciæ tres ventrales, quarta ex pluribus compoſita marginalis, quinta anguſta & ſexta lata dorſales.

π cinerea maculata faſciis tribus rufis.

Color ſqualido-cinereus; maculæ luteæ; faſcia rufa in dorſo, altera in margine, ſuperadjacente tertia anguſtiori. In hac nec faſciæ nec lineæ concentricæ ventrales.

Has H *Zonariæ* varietates haud ſuperfluum duxi in gratiam artis minus peritorum enumerare.

Faſciæ, quæ dorſo ſive ſuperiori anfractus parti inſcribuntur, omnes ſpiras ad verticem usque percurrunt, ea excepta, quæ junctura maxime vicina, in eadem perditur; quæ ventri ſeu inferiori parti, in apertura viſui ſe ſubducunt. Quæ nulla faſcia ventrali pinguntur, lineis concentricis pallidis loco faſciæ plerumque inſtruuntur. Faſciæ in fauce transparent. Anfractus in omnibus quinque vertice depreſſo, varietates ζ & η ſi excipias; *Umbilicus* patulus ſpiris ad apicem usque conſpicuis. *Apertura* transverſa, oblonga. *Labrum* candidum, reflexum & aliquantum dilatatum. Deſcriptio *Linnæi* convenit, at minus ſynonymon ex *Gualtieri* deſumtum; minime, quæ perperam ſubjungit editor operis *Liſteriani*.

In auſtralibus Europæ.

238. HELIX STRIATA.

HELIX teſta umbilicata, ſubdepreſſa, ſtriata, alba.

SCHRÖTER *von Erdkonchylien um Thangelſtedt* p. 183. n. 60. t. 2. f. 20.

diam. 6 lin.

Teſta alba, argute ſtriata, unicolor; ſubtus convexa, ſupra convexiuſcula. *Umbilicus* diſtinctiſſimus, pervius. *Anfractus* fere ſex rotundati absque carina. *Apertura* lunata; Labrum in mea nondum abſolutum.

Striatam majorem clariſſ. *Geofroi* crederem, niſi omne faſciarum veſtigium abeſſet. Reverendiſ. *Schröter*, æd. St. Petri & Pauli Weimariæ Diaconus primarius, miſit.

In Saxonia.

239. HELIX

239. HELIX OCULUS CAPRI.

HELIX teſta umbilicata ſubdepreſſa, virideſcente, immaculata, anfractibus ſeptem.

COCHLEA ſubcompreſſa tenuior, margine acuto, umbilico perforato. BROWN. *jam.* p. 400. t. 40. f. A. B.

ARGENVILLE *Conchyl.* t. 6. f. E.

RUMPH. *Conchyl.* 1. t. 27. f. P.

PETIV. *gazophyl.* t. 21. f. 6.

Dan. BUKKE - ÖIET.

Gall. OEIL DE BOUC.

diam. 12 - 18 lin.

Teſta cornea, luteo vireſcens, in deperditis albida, abſque faſcia aut macula ſubtiliſſime transverſim ſtriata, vertice convexo, verſus marginem parum depreſſa; oculo armato teſta in junioribus præſertim lineis concentricis confertiſſimis ex punctis elevatis minimis. *Anfractus* ſex & ſeptem, in junioribus ſubcarinati. *Umbilicus* ad apicem usque perforatus, ſpiris omnibus conſpicuis. *Apertura* lunata acuta absque labro reflexo. Faux alba.

Huic nomen *oculi capri* ab *Argenville* inditum retinemus; quam *Linnæus* oculum capri dicit, ab hoc diverſa eſt, figuram licet ex Argenville ei tribuit; nec ſynonyma, quæ ex Rumphio & Petiverio petiit, eandem teſtam denotant.

In Indiis.

240. HELIX

240. HELIX LAPICIDA.

HELIX teſta umbilicata, carinata, depreſſa, maculata, apertura transverſa alba.

HELIX teſta carinata, umbilicata, utrinque convexa, apertura marginata transverſali, ovata LIN. *Syſt.* 656. MUS. L. U. 362. *H. Wgoth.* p. 27.

COCHLEA terreſtris media acie acuta. PETIV. *gazoph.* t. 92. f. 11.

COCHLEA pulla ſylvatica, ſpiris in aciem depreſſis. LIST. *an. angl.* t. 2. f. 14. minus bona.

COCHLEA noſtra umbilicata, pulla. LIST. *Synopſ.* t. 69. f. 68.

COCHLEA pulla, compreſſa, ambitu acuto. LIST. *exerc. anat.* p 182. t. 5. f. 4.

COCHLEA teſta utrinque convexa, ſubtus perforata, limbo acuto, apertura ovata, transverſa, ſpiris quinque. GEOFR. *Conchyl.* 10.

SCHLOTTERB. *act. Helv.* Vol. 5. t. 3. f. 15.

Berl. Magaz. 2. B. p. 609. t. 3. f. 36.

SCHRÖTER *von Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 191. n. 64. & 65. t. 2. f. 23.

Dan. DEN LILLE LAMPE.

Germ. DIE LAMPE.

Gall. LA LAMPE; LE PLANORBE TERRESTRE.

diam. $8\frac{1}{4}$ lin.

Teſta fuſco-cornea, maculis ferrugineis; ſupra marginem verſus, complanata, ſubtus convexa, ſpira majori medio in angulum acutum dilatata. *Umbilicus* diſtinctus, pervius. *Anfractus* quinque.

quinque. *Apertura* transverſalis elliptica; *Labrum* ſubreflexum, acutum, candidum, anfractui proximo incumbens. Oculo armato pulchre ſtriata eſt, ſtriis transverſis remotis & aliis minutiſſimis flexuoſis, obliquis, confertiſſimis.

In trunco fagino ſylvæ *Nörreſkov* ſupra præcipitia lacus *Fuurſöe* agri *Fridrichsdalenſis* unicum exemplar reperi, in truncis abietinis inſulæ *Haaöen* ſinus Chriſtianienſis plura & quidem ſæpius; hinc, ſi unquam calcem rodit, non ſola calce vel decompoſitis nutritur, ſed uti plurima congenerum vegetabilibus vegetis. Clariſſ. SCHRÖTER varietatem albam miſit.

241. HELIX MARGINATA.

HELIX teſta ſubumbilicata, carinata, ſubdepreſſa, oblique ſtriata, alba, faſciis rufis, apertura transverſali.

Dan. DEN LIDSEDE LAMPE.

diam. 9 lin.

Multum accedit H. *indiſcretæ*.

Teſta candida, nitida, ſtriata uti *indiſcreta*, at ſubtilius, valde carinata, ita ut carina marginem diſtinctum, acutum, album formet; ſupra convexa faſciis anguſtis tribus rufis in maxima ſpira, duabus in reliquis; ſubtus planiuſcula, faſcia tenui media & marginali utrique paginæ communi; marginalis dividitur a carina prominente, quæ acuta & alba eſt. *Anfractus* quatuor glabri. Umbilicus pervius quidem eſt, at unus tantum anfractus in eo conſpicitur. *Apertura* transverſa ſubtriangularis. *Labrum* reflexum album. *Faſciæ* in fauce pellucentes.

In Muſeo *Fabriciano*.

242. HELIX CICATRICOSA.

HELIX teſta umbilicata, ſubdepreſſa, carinata, ruguloſa, flavicante, lineis concentricis rufis; anfractibus ſiniſtrorſis.

ARGENVILLE *Conchyl.* 1. app. t. 1. f. C.

Dan. AR- SNEKKEN.

diam. 12 lin.

Cochlea raritate & pulchritudine nulli ſiniſtrorſarum ſecunda.

Teſta tenera pellucida ex rufo flavicans, ſupra convexa, rugis transverſim undulata, ſubtus gibba, transverſim ſubtiliſſime ſtriata. *Anfractus* quinque carinati, ſiniſtrorſi; extimus faſciis plurimis anguſtis inæqualibus rufis cingitur; harum ſeptem in pagina ſuperiori, duodecim in inferiori numero. *Umbilicus* diſtinctus ad verticem usque pervius, anfractus tamen in eo ægre conſpicui. *Apertura* ſubquadrata, intus alba, margo acutus, in umbilicum parum reflexus.

Figura *Klein.* t. 1. f. 10. & *Rumph.* Conchyl. t. 27. f. O. quam eſſe ſiniſtrorſam, in pictura ſaltem, Clariſſ. *Chemnitz* minus advertit, & adjecta deſcriptio, qua dicitur maximam partem brunnea & glabra, noſtræ non prorſus adverſari videntur. Nec ſynonyma ex Gualtieri & Linnæo a Chemnitio dictæ figuræ allata quadrant.

Figura *Argenv.* noſtra triplo major eſt.

In Muſeo *Fabriciano.*

Subgloboſæ.

Subglobosæ.

243. HELIX POMATIA.

HELIX testa imperforata, globosa, rufescente, fasciis obsoletis.

HELIX testa umbilicata, subovata, obtusa decolore, apertura subrotundo-lunata. LIN. *Syst.* 677.

COCHLEA testa utrinque convexa, rufescente, quinque spirarum. GEOFR. *conchyl.* 1.

COCHLEA cinerea maxima, edulis. LIST. *an angl.* p. 111. t. 2. f. 1.

COCHLEA cinereo-rufescens, fasciata, leviter umbilicata. LISTER. *Synops.* t. 48. f. 46.

COCHLEA terrestris gypso obserrata, ALDROV. *Exsangu.* 389.

POMATIA GESN. *aquat.* p. 244. & 255. LIST. *exerc. anat.* t. 1. f. 1 - 6.

COCHLEA opercularis Vinearum. SWAM. *Bibl. N.* t. 4.

COCHLEA terrestris vulgaris, maxima, albicans, Pomatia. GUALT. *Test.* t. 1. f. A. minus bona, si revera nostra.

COCHLEA terrestris major, vulgaris, pallide fusca vel albicans. SCHLOTT. *Act. Helv.* vol. 5. p. 276.

ARGENVILLE. *Conchyl.* par. 1. t. 28. f. 1. par. 2. t. 9. f. 4.

Berl. Magazin 2. B. p. 530. t. 1. f. 1.

LEUWENHOEK contin. arcan. nat. p. 25 - 32.

LEUWENHOEK philosoph. transactions, 1697.

BONAN. *recreat.* t. 316. seu ultima.

List. *Syn.* tab. anat. 1.

Schröter *von Erdkonchylien um Thangelſtedt*, p. 145. 14. 15. t. 1. f. 10.

Geve t. 29. f. 330 - 342.

Schæffers *Verſuche mit Schnecken.* 1. St. t. 3. 2. St. t. 1. 2. 3.

Dan. vold - snekken; den store have - snegl.

Germ. weinbergs - schnecke; garten - schnecke; deckel - schnecke.

Gall. le vigneron.

Belg. wyngaardslak.

Svec. trägards - snäka.

Angl. wine - gard snail.

diam. 9 - 16 lin.

Teſta hæc, uti hoſpes ejus, ſat nota ulteriori deſcriptione vix eget, addendum tamen, quod autores non obſervaſſe videntur, foramen nempe, quod ſubtus in junioribus conſpicitur, in adultioribus in umbilicum gyrari, in juſtam ætatem adeptis claudi, hinc in nomine ſpecifico, cum caracter ex perfecto exemplo ſumi oportet, *impeı forata* dicitur, hoc eſt: nec perforata, nec umbilicata, cum iſtæ tantum tali nomine vocari debent, quæ juſtum incrementum adeptæ, foramen aut umbilicum adhuc apertum monſtrant; foramen ſinus ille anguſtus eſt, intra quem *Liſter* ſpecillum demittere potuit. Omnes cochlearum figuræ, quod notandum, in tabulis *Liſt.* anim angl contrario ſitu impreſſæ ſunt; teſtæ enim dextrorſæ ſiniſtrorſæ conſpiciuntur, & in nominibus ſpecificis dextrorſæ dicuntur.

Teſta variat alba, faſciis duabus latis, cinereo - fuſcis, apice productiore; huicque referenda Cochlea terreſtris vulgaris, mucrone productiori faſciata, cinerea *Gualt.* t. 2. f. B.

Pomatiam

Pomatiam ova parere, pullosque ex iis excludi *Leuwenhoeck* vidit, biduoque defectu nutrimenti periisse narrat; quæ mortis causa minus justa videtur, cum hæc species, uti congeneres, plures dies & menses absque pastu apud me vitam produxit.

Pullos inveni diametro 3 lin fascia albida notatos. Hiemem versus testam operculo calcareo claudit, ultimo vero Aprilis & initio mensis Maji e testa rursus prodit.

Operculata, (Deckel-Schnecke) improprie dicitur, operculum nec pedi adhæret, uti perperam narratur *Arg.* Conch part. 2 p. 82. nec perenne est, quod Neritis proprium; formatur enim & destruitur uti reliqua terrestrium pro lubitu limacis; peculiare tamen huic est, opercula hyberna ex tribus stratis diversis construere. *Interius* nempe mere membranaceum, pellucidum, flavicans. *Medium* membranaceum, subpellucidum, pagina exteriore calcareum, interiore flavicans, & *exterius* crusta crassiuscula calcarea, extus convexa, compositum. Stratum intermedium primum conficitur, dein extimum, ultimo internum. Dum digitis tenerem, operculum formare & deponere vidi.

In horto Coenobii Virginum Nobilium, quod *Roeskildæ* est, & in munimentis *Havnienſibus* vulgatissima, ubi hieme colligitur, culinisque nobiliorum civium infertur.

244. HELIX POMARIA.

HELIX testa imperforata, globosa, sinistrorsa, rufescente, fasciis obsoletis.

diam. 1⅛ lin.

Testa præcedente aliquantum major & sinistrorsa, cæterum adeo perfecte eadem, ut, licet clarif. *Chemnitz*, qui hanc primus sinistrorsam observavit, speciem haud controversam putet, mihi adhuc aqua hæreat, varietatem an speciem crederem. Si enim tota testa, uti ipse limax, in ovo lateret, solaque evolutione in majus volumen, prout autores volunt, increscceret, omnis omnino scrupulus de distincta sinistrorsarum specie, quarum maxime similes dextrorsæ re-

perientur, mihi facile adimeretur, dum vero limacem teſtam novis anfractibus ſenſim ampliare & demum abſolvere video, embryonem caſu qualicunque a communi & vulgari tramite deflecti poſſe, haud abſurdum videtur. Huc accedit, quod *pomaria* & *pomatia* iisdem locis degant, licet ob oppoſitum genitalium ſitum coire nequeant. Inquiſitio, an ſiniſtrorſæ invicem copula jungantur, pullosque ſiniſtrorſos pariant, rem ſartam tectam præſtaret.

In Circulo Germaniæ *Sweuico*, unde maximo dextrorſarum numero perpaucæ ſiniſtrorſæ Viennam afferuntur.

245. HELIX LUCORUM.

HELIX teſta imperforata, rotundata, alba, faſciis, ſtrigisque rufis; labro fuſco.

HELIX teſta imperforata, ſubrotunda, lævi, faſciata; apertura oblonga, fuſca. LIN. *Syſt.* 692.

COCHLEA terreſtris vulgaris, cinerea, aliquando pulla faſciis quatuor fulvis diſtincta. GUALT. *teſt.* t. 1. f. C.

Dan. LUND-SNEKKEN.

diam. 19 lin.

Teſta globoſa, alba, transverſim ſtriata; faſciis circularibus ſtrigisque transverſis rufis, numero & ſitu variantibus interſtincta. *Apertura* lunata, intus alba; *Labrum* fuſcum, ſimplex, centrum verſus tantum reflexum. *Anfractus* quinque. *Faſciæ* in quibusdam quatuor, in aliis quinque. Hæc, uti pleræque, junior centrum perforatum, adulta clauſum habet.

In Italia. Donum Clariſſ. Ferd. *Baſſi.*

246. HELIX NEMORALIS.

HELIX teſta imperforata, globoſa, labro fuſco.

HELIX teſta imperforata, ſubrotunda, lævi, diaphana, faſciata, apertura ſubrotunda, lunata. LIN. *Syſt.* 691.

COCHLEA

Cochlea teſta utrinque convexa, flava, fuſco-faſciata, quinque ſpirarum, labro fuſco reflexo. Geofr. *conchyl.* 3.

Cochlea citrina aut leucophæa, non raro unicolor, interdum tamen unica, interdum etiam duabus aut tribus, aut quatuor, plerumque vero quinis faſciis pullis diſtincta. List. *an angl.* p. 116. t. 2. f. 3.

Cochlea interdum unicolor, interdum variegata, item variis faſciis depicta. List. *Synopſ. conchyl.* t. 57. f. 54. *exerc. anat.* t. 5. f. 1 - 3.

Cochlea hortenſis. Swamm. *Bibl. Nat.* t. 8. f. 6.

Argenv. *Conchyl.* par. 1. t. 28. f. 8. par. 2. t. 9. f. 5.

Geve t. 32. f. 391 - 411.

Lesser. *Teſtaceo-theologica.* p. 88. n. 1.

Dan. skov-snekken.

Germ. die wald-schnecke.

Gall. la livrée.

diam. 9 - 11 lin.

Variat *ruſſa* vel *lutea*, & hæc iterum fuſco-faſciata, vel abſque omni faſcia.

Varietates ſequentes mihi obviæ, ſolo colore & numero faſciarum diverſæ.

α rufa tota.

Cochlea ex toto fuſca. Pétiv. *gazophyl.* t. 92. f. 10.

β rufa, faſcia tenuiſſima pallida.

Gualt. *teſt.* t. 2. f. A.

γ rufa,

δ *rufa, faſciis duabus pallidis.*

γ *rufa, faſcia latiſſima fuſca.*

ε *rufa, faſcia lata fuſca.*

GUALT. *teſt.* t. 1. f. P.

In his junctiuræ anfractuum albæ. Faſcia transverſa lutea fuſco ſuperne labro adjacent. Apertura roſea, paries oppoſitus fuſcus.

ζ *rufa, faſcia anguſta fuſca.*

Hujus unicum individuum offendi, cui ſubtus faſciæ duæ pallidæ.

η *rufa, faſciis tribus fuſcis, infima & media latiſſima.*

COCHLEA vulgariſſima variegata. PETIV. *gazophyl.* t. 92. f. 9.

Hanc ſub aqua profunditate duarum orgyarum tota æſtate in ſocietate viventem vidi.

θ *caſtanea, faſcia luteſcente.*

ι *incarnata tota.*

COCHLEA ex toto carnea. PETIV. *gaz.* t. 91. f. 11.

κ *incarnata, faſciis tribus ſaturatioribus.*

λ *incarnata, faſcia unica ſaturatiore.*

COCHLEA carnea faſcia ſingulari. PETIV. *gazophyl.* t. 91. f. 12.

μ *albida,*

μ albida, faſciis transverſis & circularibus ſub-ſanguineis.

Bella varietas; unicum tantum exemplar inveni, labro nondum perfecto.

ν lutea tota.

List. *an. angl.* p. 117. 1. & 2.

Cochlea ex toto flaveſcens. Petiv. *gazoph.* t. 91. f. 9.

Geve. t. 32. f. 399.

Junctura ſpirarum albæ. Faſcia ſulphurea transverſa ſuperne labro fuſco approximata. Apertura albida; paries obverſus fuſcus.

ο lutea, faſcia fuſca anguſta.

Gualt. *teſt.* t. 2. f. D.

Petiv. *gazoph.* t. 91. f. 10.

Geve. t. 32. f. 403.

Lister. *angl.* p. 117. 3. 4.

Seb. th. 3. t. 38. f. 18.

Schröt. *Erdk.* t. 1. f. 13. & t. 2. f. 28.

Seba terreſtres & fluviatiles & pictura & deſcriptione mire miſcet, H. nemoralem ο ejusdem ſpeciei cum ſua præcedente, quæ fluviatilis eſt, & quidem noſter Planorbis *Purpura*, toto cælo diverſus, oſcitantur affirmans. Adde, quod figuras omnes contrario ſitu impreſſæ ſint.

π lutea, faſcia latiſſima fuſca.

Geve. t. 32. f. 402.

Faſciæ plures ita confluunt, ut unica videatur, totum fere anfractum occupans.

ϱ *lutea, faſciis duabus fuſcis, æqualibus, inferis.*

Geve. t. 32. f. 401. & 411.

Schröt. *Erdk.* t. 1. f. 14. & t. 2. f. 29.

σ *lutea, faſciis duabus fuſcis, infima latiſſima.*

Geve. t. 32. f. 410.

Schlott. *act. Helv.* vol. 5. t. 3. f. 6.

Berl. Magaz. 2. B. t. 3. f. 25.

Apertura rubra; infima faſcia in nonnullis interrupta. Hoc ex frequenti reſtauratione fractæ teſtæ.

τ *lutea, faſcia alba utrinque rufa.*

Pulchra varietas faſcia media ſolitaria alba, linea rufa utrinque cincta, labium nondum acceperat.

υ *lutea, faſciis duabus fuſcis, latiſſimis.*

List. *an. angl.* p. 117. 5. 6.

Seb. th. 3. t. 39. f. 19.

φ *lutea, faſciis tribus fuſcis, æqualibus.*

Berl. Magaz. 2. B. t. 3. f. 26.

Geve. t. 32. f. 397.

Schröt. *Erdk.* t. 1. f. 15. & t. 2. f. 30.

χ *lutea, faſciis tribus fuſcis, media anguſtiſſima.*

Geve. t. 32. f. 409.

ψ *lutea, faſciis tribus fuſcis, ſuprema anguſtiſſima.*

ω *lutea, faſciis tribus fuſcis, infima latiſſima.*

Geve. t. 32. f. 396.

αα *lutea,*

αα lutea, faſciis tribus fuſcis, inferioribus æqualibus, ſuprema anguſtiore.

Schlott. *act. Helv.* vol. 5. t. 3. f. 2. & 3.

Berl. Magazin 2. B. t. 3. f. 27. 28. 29.

ββ lutea, faſciis quatuor fuſcis.

Schlott. *act. helv.* vol. 5. t. 3. f. 9.

Berl. Magaz. 2. B. t. 3. f. 30.

List. *an. angl.* p. 117. 9.

Geve. t. 32. f. 408.

Schröt. *Erdk.* t. 1. f. 16.

γγ lutea, faſciis quinque fuſcis, æqualiter remotis.

Schlott. *act. helv.* vol. 5. t. 3. f. 10.

Berl. Magaz. 2. B. t. 3. f. 31. 32.

Seb. th. 3. t. 39. f. 12.

Gualt. *teſt.* t. 2. f. F.

List. *an. angl.* p. 117. 7.

Schröt. *Erdk.* t. 1. f. 17.

Faſciæ tres inferiores æquales, ſuperiores tenuiores.

δδ lutea, faſciis quinque fuſcis, inæqualiter remotis.

Argenv. *conchyl.* t. 28. f. 8.

Faſcia infima latiſſima, ſecunda lata, quarta & quinta anguſtæ, media ſive tertia tenuiſſima; hæc a cæteris inæqualiter diſtat.

Limaces harum varietatum lutei, nigri, cinerei, albi, pleriquepromiſcue copula junguntur; junctos deprehendi primæ varietatis inter ſe, & cum χ & γγ, variet. ω cum ο & σ.

Huc referendæ Helices cl. *Schröter* num. 75 - 115, meræ *nemoralis* varietates.

Quot, quot ex Italia poſſideo, noſtratibus aliquantum majores ſunt, minores tamen figuris *Gualtieri*.

In hortis & nemoroſis vulgatiſſima; in Gallia & Anglia edulis.

247. HELIX HORTENSIS.

HELIX teſta imperforata, globoſa, labro albo.

GEVE. t. 30. f. 357 - 367, & t. 31. f. 368 - 390.

Dan. HAVE-SNEKKEN.

diam. $7\frac{1}{2}$ - 8 lin.

α *albida tota*

HELIX major, magis griſea, labris albis. Mus. L. U. 670.

COCHLEA teſta pellucida. LIN. it. Weſtgoth. p. 84.

GEVE. t. 31. f. 381. &. 382.

β *flava tota.*

LIST. *an. angl.* p. 117. 1.

GEVE. t. 31. f. 368, 370.

SCHRÖT. *Erdk.* t. 2. f. 27.

γ *lutea, maculis linearibus obſcuris.*

ε *lutea, maculis & punctis nigris.*

ζ *lutea, faſcia latiſſima fuſca.*

GEVE. t. 30. f. 367. t. 31. f. 380.

η *lutea*

η *lutea, faſciis duabus latis, fuſcis.*

GEVE. t. 31. f. 388.

θ *lutea, faſciis duabus fuſcis, ſuprema latiſſima.*

ι *lutea, faſciis tribus fuſcis, ſuperioribus latiſſimis.*

GEVE. t. 33. f. 366.

λ *lutea, faſciis tribus fuſcis, infima & media remotiſſima.*

ν *lutea, faſciis quatuor fuſcis.*

GEVE. t. 31. f. 387.

μ *lutea, faſciis quinque fuſcis, decreſcentibus.*

GEVE. t. 31. f. 374.

ν *lutea, faſciis quinque fuſcis, ſecunda latiori.*

Hanc, licet cum præcedente vulgaris ſit, autores tamen non ſatis attenderunt, perilluſtris a LINNE quidem olim in Muſeo L. U. primæ, LIST. & Clariſſ. MARTINI *Berl. Magaz.* 2. B. p. 540. ſecundæ varietatis mentionem fecerunt, quilibet tamen eorum de reliquis varietatibus ſilentes hanc meram Helicis *nemoralis* varietatem arbitrabantur. Nos aliter ſentimus: monendum tamen prius, memoriæ lapſu factum videri, quod *Helix griſea labro albo* a LINNÆO major, & *Helix flava labro fuſco* minor dicatur, quæ enim labro albo gaudent, ſemper iis minores, quæ labro fuſco, & quidem centies reperimus. Helicem *hortenſem* ſpeciem a nemorali diverſam ſvadent parvitas (illa enim adulta ætate hac ſemper minor) nitor teſtæ ſplendidus, ac labium in majori, ſive H. *nem.* conſtanter fuſcum, in minori, ſive H. *hortenſi* album. His accedit, quod varietates *nemoralis* cum variet.

hortenſis nunquam copula jungi viſæ ſint, etiamſi in eas hoc reſpectu plures annos inquiſiverim.

Utriusque, *nemoralis* & *hortenſis*, teſtæ margo, antequam juſtam magnitudinem adepta ſit, nec labiatus, nec albus aut fuſcus eſt, ſed acutus teſtæ concolor. Adulta enim ætate & perfecto teſtæ incremento, margo aperturæ acutus labro augetur ſubreflexo, ac qui alteri lateri antea centro perpendiculariter inſiſtebat, jam centrum verſus in planum inclinatum deprimitur, foveculamque centralem, quæ in junioribus foraminis inſtar ad verticem usque aperta erat, obturat, novumque colorem induit. Juniores itaque teſtæ perforatæ ſunt & labro carent; fragiliores quoque & magis transparentes ſunt.

Varietates imprimis α & β transparentiam inſignem ad perfectam usque ætatem ſervant, quin etiam labrum album adeptæ, ramificationibus venarum pulcherrimis, rivuloſis ac conſpicuo motu ſyſtoles & diaſtoles in corde adhuc pellucent, quod ſæpiſſime vidi; transparentia tamen in adultis ſenſim minuitur, dum teſta ab intus craſſitie augeatur. Hinc. Ill. a Linne *Cochlea pellucida*. It. W. G. p. 84. Oeland. p. 155. & Listeri *pellucida* p. 117. meræ ætatis differentiæ ſunt. Venæ non disparent limace e teſta prodeunte, uti *Linnæus* narrat, totam potius teſtam tunc occupant; debentur enim pallio, quod, dum limax extra teſtam vagatur, parietes internos undique veſtit, ſi vero in interioribus teſtæ conditur, pars anfractus majoris pallio, adeoque venis deſtituitur.

Singularem in ſecunda varietate operationem obſervavi, cæteris communem ſuſpicor. In capſula lignea tenebatur, ſtridorem continuum & acutum ego ſentiens, maxillis capſulam rodere, ut ſibi exitum facilitaret, uti Limaces nudi & Hel. *nemorales* in papyro non absque ſucceſſu ſæpius tentaverunt, credidi; caute vero inquirens, vermem in poliendo ſuperficiem teſtæ occupatiſſimum deprehendi, ac ſonum ex frictione maxillæ contra teſtam oriri comperi. Hinc teſtæ hujus ſpeciei *nemorali* politiores & nitidiores ſunt. Hoc actu organa in capite quædam in motu videbantur; unum nempe album & quinque nigra punctiformia ſub cute pellu-

centia,

centia, in area tentaculis interjecta ad os descendere & rursus retrogredi, conspiciebantur, stridorque quavis actione, qualis in muribus festucam rodentibus, audiebatur. Puncta sive organa nigra quadratim circa quintum disposita, album vero postice.

Omnes varietates magnitudine æquales decima excepta, quæ cæteris major.

In hortis, minus vulgaris, quam *nemoralis*.

248. HELIX ARBUSTORUM.

HELIX testa imperforata, globosa, fusca, lineolis luteis, labro albo.

HELIX testa umbilicata, convexa, acuminata, apertura suborbiculari bimarginata, antice elongata. LIN. *Syst.* 680.

COCHLEA maculata, unica fascia pulla angustioreque, per medium anfractus insignita. LIST. *an. angl.* p. 119. t. 2. f. 4.

COCHLEA maculata, unica fascia fusca, per medium orbem insignita. LIST. *Synopf.* t. 56. f. 53.

COCHLEA indigena terrestris eleganter picta. SEB. thes. 3. t. 38. f. 68.

Berl. Magaz. 2. B. p. 534. t. 3. f. 23.

GEVE. t. 30. f. 345 - 356.

Dan. KRAT - SNEKKEN.

Germ. DIE GEFLECKTE GARTEN - SCHNECKE.

diam. $9\frac{1}{2}$ lin.

Testa fusca, lineis minutissimis, sparsis, flavescentibus, fasciaque media pulla instructa; hæc in quibusdam ita obsoleta est, ut, nisi testa

teſta lumini obvertatur, non conſpici poſſit. Juniores pellucidæ, fuſcæ vix lineis luteis notatæ, at alia nota noſcuntur; intra marginem aperturæ acutum alter quaſi margo elevatus candidus, a prima ætate obſervabilis; teſta vero ad juſtam magnitudinem producta, hic ſecundus margo evaneſcit, vel in labium ſubreflexum album perditur. Oculo armato juniores ſubtiliſſime transverſim ſtriatæ ſunt; ſtriæ hæ in adultis elevantur, nudoque oculo conſpiciuntur, vel omnino disparent.

Anfractus $5\frac{1}{2}$. Variat pallida lineis candidis

Teſtæ ſæpe vacuæ reperiuntur. *Lacertam* juniorem hujus teſtæ penetralibus inhærere non ſemel vidi, limacem devorandi ergo; in ipſo quoque facto lacertam, quam ſimul cum Helice *nemorali* in theca lignea ſervavi, deprehendi; ſuſpicio dehinc clar. *Feldmann* ex parte confirmata eſt.

Diu hæſitavi, an Helix Linnæi noſtra eſſet quod teſta ejus *umbilicata*, ac apertura *elongata* dicitur, at forte juniores tantum quorum foramen centrale, uti in H. *Pomatia*, umbilicum nominat, vidit, nec obſervavit, illud in adultioribus claudi; cur *elongatam* dicit, non video, apertura enim in noſtris non magis elongata, quam in *nemorali*. Synonymon, quod huic ex Argenville tribuit, H. nemorali debetur.

In horto *Fridrichsdalenſi* rara, in *Roſenburgico* vulgaris.

249. HELIX FULVA.

HELIX teſta imperforata globoſa pellucida, fulva, labro albo.

Dan. TOPAS-SNEKKEN.

diam. $\frac{1}{2}$ - 3 lin.

Teſta pellucida, glabra, ſtriis ſubtiliſſimis confertis transverſim ſtriata, colore ſuccini transparentis, pulchritudine & teneritate nulli

nulli ſecunda. *Carina* anfractus majoris, ac *junctura* in adultis tantisper albent; hæc albedo lumini pellucenti deberi videtur. *Apertura* arcuata, anguſta. *Labium* album, acutum; *Anfractus* ſupra ſeptem, ſubtus unicus. Nec *umbilicus* nec *foramen* in omni ætate; rudimentum tamen foraminuli, quale in H. *nemorali* nondum labio perfecte tectum, oculo armato conſpicitur. In minoribus, ſive junioribus, ſtriæ ac albedo minus conſpicuæ; anfractus 3 - 5, ac labium teſtæ concolor. *Limax* pallidus, hyalinus; *tentacula* majora, longa, nigra.

Rariſſima eſt hæc cochlea, imprimis adultæ ætatis; hujus enim plures annos inquirenti unicum tantum ſpecimen ſeſe obtulit, juniorum vero, licet revera raræ dici merentur, ultra triginta diverſo tempore.

Inter folia putrida fagina ac in palis humidulis agri *Fridrichsdalenſis*.

250. HELIX EPISTYLIUM.

HELIX teſta imperforata, ſubgloboſa, ſtriata, candida, anfractibus ſeptem.

COCHLEA alba ſex orbium, margine primi orbis pulvinata, ſive trochus jamaicenſis. LIST. *Syn.* t. 62. f. 60.

Dan. PILLE - KNAPPEN.

diam. 12 lin.

Cochlea colore aluminis pellucentis, ſtriaturaque ſpirarum nulli pulchritudine dispar.

Teſta candido - hyalina, ſupra in conum convexa nitide obliqueque ſtriata; ſubtus planiuſcula, lævis absque omni ſtria. Anfractus ſeptem, fere octo. Subtus juniores quidem perforatæ ſunt, at foramen in adultis labio aperturæ tegitur. Apertura lunata;

Labrum reflexum, politum. *Liſteri* multo minor noſtra, caeterum convenire videtur.

In Muſeo *Moltkiano*.

251. HELIX CINCTA.

HELIX teſta imperforata, ſubgloboſa, alba, faſciis labroque rufis.

Dan. SNOOR-SNEKKEN.

diam. 18 lin.

Sequenti ſimillima, ut eandem crederem, niſi diverſus anfractuum numerus in utraque abſoluto incremento (in hac enim quinque, in illa quatuor tantum numero) labrumque rufum, in illa candidum, contrarium perſvaſerit. Armatus oculus aliam differentiam, ſtrias nempe ſubtiliſſimas in hac faſciis parallelas, in illa impreſſiones varioloſas ſuppeditat.

In Muſeo *Spengleriano*.

252. HELIX LIGATA.

HELIX teſta imperforata, ſubgloboſa, alba, faſciis rufis; labro albo.

COCHLEA terreſtris vulgaris pulla, faſciis obſcure luteis cincta. GUALT. *teſt.* t. 1. f. E.

Dan. STRIMMEL-SNEKKEN.

diam. 14 lin.

Teſta

Teſta ſtriata luteo-alba, faſciis quinque rufis æqualibus, ac fere æque inter ſe diſtantibus; intus alba faſciis pellucentibus. Apertura ſubovata; *Labrum* ſubreflexum, candidum, in centro depreſſum, dilatatum. *Anfractus* quatuor.

In Italia.

253. HELIX ASPERSA.

HELIX teſta imperforata, ſubgloboſa, lutea, faſciis quatuor rufis, maculis albis interruptis; labro candido.

ARGENVILLE *Conchyl.* 1. t. 28. f. XI.

Berl. Magaz. t. 2. f. 17.

GEVE. t. 30. f. 344.

Dan. DEN BESTÆNKTE SNEKKE.

diam. 12 - 18 lin.

Teſta ſubovata, lutea, punctis minimis impreſſis quaſi reticulata ſive rugoſula; *Faſciæ* quatuor rufæ, tertia latiſſima in quibusdam, in ſecunda ſpira in duas partita; omnes luteo & albo crebro interruptæ, ut in quibusdam teſſulatæ appareant. *Apertura* longa faſciis pellucentibus. *Labrum* album ſubreflexum. *Anfractus* quatuor.

Variat teſta alba faſciis quatuor rufis. Faſciæ numero & proportione in omnibus exemplaribus conſtanter eædem. Antequam labium formet, perforata eſt, incrementum vero, labium adjiciendo, foramenque claudendo, abſolvit.

In Italia.

254. HELIX EXTENSA.

HELIX teſta imperforata, ſubgloboſa, pallida, immaculata, apertura ampla.

Dan. EGG- SKAL- SNEKKEN.

diam. 16 lin.

Facies H. *pomatiæ*; at ſpira (anfract. ſuperiores ſimul ſumti) minus prominens, apertura repanda, ſeu extremitas anfractus magis protenſa, anfractusque quatuor. Foramen labio perfecte obturatum; Labrum nullum.

In Muſeo *Spengleriano*.

255. HELIX PISANA.

HELIX teſta perforata (imperforata) globoſa, candida, faſciis ſubinterruptis, rubris, labro roſeo.

COCHLEA terreſtris vulgaris, candida, faſciis luteis undulatis, picta ore roſeo. GUALT. *teſt.* t. 2. f. E.

COCHLEA Piſana minor umbilicata. PETIV. *gazophyl.* t. 52. f. 12.

SCHRÖTER *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 188. n. 63. t. 2. f. 22. a.

Dan. RÖD - LIPPEN.

diam. 5 - 7½ lin.

Teſta albiſſima, faſciis ruſeſcentibus integris & margine laceris, ſive diffluentibus; *Apertura* lunata; intra marginem aperturæ acutum, alius quaſi margo elevatus, qualis in H. *arbuſtorum*, roſeus. *Foramen* centri in adultis a labro tegi, vix ullum dubium.

Faſciæ

Faſciæ tenues, lineares, in quibusdam quinque, in aliis ſex numerantur.

Figuræ 78, 79 & 85. *Liſt.* Synopſ. huic convenire videntur.

In Italia.

256. HELIX STRIGATA.

HELIX teſta perforata (imperforata) vertice depreſſo, alba, faſciis lineisque pluribus rufis, labro utrinque albo.

COCHLEA albida ſenis faſciis anguſtis circumſcripta, clavicula compreſſa. LIST. *Synopſ.* t. 58. f. 55?

Dan. TVER-STRIBE-SNEKKEN.

diam. 10 lin.

Facies H. *ericetorum*, at non umbilicata eſt.

Teſta candida, polita, pulchre transverſim ſtriata, ſtriæ aliquantum arcuatæ; *Anfractus* infimus convexus, faſciis inæqualibus rufeſcentibus ornatus; harum ſuperiores confluunt, mediæ anguſtiſſimæ, infimæ tres duplicatæ, reliqui anfractus planiuſculi verticem depreſſum conſtituunt; faſcia mediarum ſuprema in iis tantum conſpicua, ſuperiorum nullum veſtigium eſt.

Apertura tota alba eſt; Labrum ſubreflexum, intus & extus album, foramen claudere minatur.

Liſteri figura quoad habitum convenit, at inciſura umbilicalis a noſtra aliena eſt.

In Italia.

257. HELIX NEMORALIS.

HELIX teſta perforata, (imperforata) globoſa, nitida, alba, faſciis fuſcis.

Dan. KRID-SNEKKEN.

diam. 15 lin.

H. *nemoralem* quam maxime refert, diverſa tamen, quod triplo major, craſſior & durior, quod nitida & polita ſit, quod color albus, ſat parum in ſulphureum vergat, & imprimis, quod ſex anfractibus inſtructus, cum illa incremento abſoluto quinque tantum habeat. Apertura lunata, absque labro quidem eſt; axisque perforatus, at quot exemplorum vidi, teſtas imperfectas habuere; meo enim judicio, hæc ſpecies ad modum *nemoralis* & plurium congenerum incrementum adjecto labro, clauſoque foramine perficit. Faſciæ tres fuſcæ in infimo anfractu, ſuperior anguſtior.

In Muſeo Regio; forte ex Indiis.

258. HELIX SERICEA.

HELIX teſta perforata, ſubgloboſa, ſubcarinata, utrinque convexa, tomentoſa.

Dan. SILKE-SNEKKEN.

diam. 3 lin.

Facies & ſtructura H. *hiſpidæ* quam primo intuitu crederes, propius tamen contemplanti diverſa probatur.

Teſta

Teſta cornei transparentis coloris, aliquantum carinata; pellucidiras carinæ major faſciam pallidam mentitur; tota teſta tomento minutiſſimo obtegitur, hoc tamen oculo armato & certo ſitu, quovis pilo reſplendente, tantum conſpicitur. Centrum ſubtus foraminulo exquiſito, non umbilico inſtruitur; apertura uti in congeneribus lunata.

In hortis.

259. HELIX INCARNATA.

HELIX teſta perforata, ſubgloboſa, ſubcarinata, cornea, anfractibus ſex, labro incarnato.

SCHRÖTER *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 174. n. 52-54. t. 2. f. 18.

Dan. NÖDDE-SNEKKEN.

diam. 6 lin.

Teſta cornei coloris, immaculata, ſupra valde convexa, anfractibus ſex diſtinctis. Infimus in medio in carinam elevatur; color carinæ pallidus faſciam albidam formare videtur; ipſus anfractus aperturam verſus luteo-rufus eſt. Subtus umbilicus ſive foramen anguſtiſſimum.

In nemoribus rara.

260. HELIX CITRINA.

HELIX teſta perforata (imperforata) ſubgloboſa, lævi, nitida, faſcia diverſicolore.

Dan. CITRON-SNEKKEN.

* *ſulphu-*

α *ſulphurea, faſcia ſimplici lactea.*

Cochlea citrina, ipſa oris margine pulla, unica tenui faſcia in medio primi orbis donata. List. *Syn.* t. 54. f. 50.

Helix flaveſcens, cingulo albo. Mus. L. U. 370. Geve. t. 26. f. 278.

β *ſulphurea, faſciis duabus latis lacteis.*

Geve. t. 26. f. 279.

γ *ſulphurea, faſciis duabus lacteis, ſuperiore anguſtiore.*

δ *ſulphurea, faſcia ſanguinea lacteæ ſuperne adnata.*

Cochlea terreſtris depreſſa lævis pellucida, faſciis duabus, fulva & candida ad ipſum marginem primi orbis inſignita. Gualt. *teſt.* t. 3. f. D.

Cochlea ex pallide citrino flava, binis tæniis. Seb. th, 3. t. 39. f. 1. 2.

Geve. t. 26. f. 282.

Berl. Mag. 2. B. p. 615. t. 4. f. 38.

ζ *ſulphurea, linea ſanguinea faſciæ albæ latiſſimæ innata.*

Helix flava, cingulo albo, in medio purpuraſcente. Mus. L. U. 370.

Geve. t. 26. f. 283.

η *lutea,*

η *lutea, faſcia & baſi albis, linea ſanguinea inferne adnata.*

θ *fulva, faſcia & baſi albis.*

ι *fulva, faſcia ſanguinea albæ innata.*

λ *rufo-fuſca, faſcia ſimplici alba.*

Cochlea terreſtris depreſſa; fragilis, lucida, fuſca, unica faſcia alba ad ipſum marginem primi orbis notata. Gualt. *teſt.* t. 3. f. E.

Cochlea e majoribus modo rufeſcens, modo citrina, compreſſior, unica faſcia alba ad ipſum marginem primi orbis inſignita. List. *Synopſ.* t. 60. f. 57.

Helix hepatica, cingulo albo. Mus. L. U. 370.

Geve. t. 26. f. 277.

ν *rufo-fuſca, faſcia ſanguinea albæ adnata.*

Argenv. *Conch.* t. 28. f. 10.

Geve. t. 26. f. 285.

μ *atro-fuſca, faſcia & baſi albis.*

ν *pallide purpurea, faſcia ſulphurea.*

ο *pallide fuſca, faſcia & baſi albis.*

π *alba, faſcia lata atro-ſanguinea.*

Helix teſta umbilicata, convexa, obtuſa, flaveſcente, faſcia fuſca. Lin. *Syſt.* 679. Mus. L. U. 370.

Geve. t. 26. f. 281.

ϱ *alba, faſciis duabus anguſtis ſanguineis.*

σ *luteo-virente, punctis ſparſis nigris, faſcia lineaque rufis, baſi alba.*

diam. 12 - 18 lin.

Quantopere hæc cochlea, nitore teſtæ ſplendoreque colorum inter pulchriores cenſenda, teſtæ & faſciarum pictura variat, exemplis allatis patet. Autores quidem *ſulphuream*, *albam* & *fuſcam* varietatem diverſas ſpecies conſtituerunt; hæc quoque illæ fragiliores, tenuiores minusque pellucidæ ſunt; *nemoralis* vero, *hortenſis* & plures docent, colores, transparentiæ & craſſitiei plus minusve ſpeciem ad deſignandam nullo modo ſufficere. *Anfractus* quinque, quorum major in γ & ι ſuperne impreſſione lineari cingitur. Varietates ε, ϑ, ι, μ, π & ϱ, ſubtus macula, qua reliquæ carent, fuſca juxta centrum, qua labium reſpicit, notatur. σ punctis nigris transverſim ſparſis, verticeque nigro a reliquis ſecedit; linea rufa areæ virenti contigua eſt, ac introrſum, qua anfractus major vicino jungitur, rudimentum plicæ, qualis in H. *Rapa;* hæc plica in ζ quoque conſpicitur, in reliquis ne ullum ejus veſtigium adeſt. Quævis varietatum ſubtus perforata, nulla umbilicata eſt, foramenque, ni fallor, perfecta limacis ætate clauditur, ac tum teſta, uti in *nemorali*, imperforata evadit, labrumque mancipitur. Suſpicionem hanc, quæ analogia nititur, figura & deſcriptio *Liſteri*, foramen clauſum *ipſumque oris marginem pullum* indicantes, ratam præſtant. Margo acutus, quo apud *Linnæum* umbilicus, rectius foramen cingitur, initium labri eſt, quo foramen claudi debet, in pluribus vulgaris.

In Muſeis haud infrequens.

261. HELIX

261. HELIX RAPA.

HELIX teſta perforata (imperforata) ſubgloboſa, punctis pertuſa, faſcia ſanguinea, anfractu ſuperne introrſum deflexo.

Dan. ROE-SNEKKEN.

diam. 18 lin.

Teſta tota alba, ſuperne paſſim in luteum vergit; ſubtus perforata; apertura lunata absque labio, foramen vero in perfecta claudi, labiumque accreſcere nullus dubito.

Faſcia in medio anfractus majoris ſanguinea dimidium peripheriam tantum occupat. Margo ſuperior anfractuum in aperturam deflectitur, ſeu fimbriam unius lineæ latitudinis argutiſſimam proximo anfractui agglutinatam format; alium characterem ſuppetunt puncta innumera æqualia, quibus teſta ubique pertuſa eſt, nudo oculo difficulter conſpicua.

In Muſeo Regio.

262. HELIX CASTANEA.

HELIX teſta perforata, ſubgloboſa, obſcura, caſtanea, faſcia rufa albæ adnata, anfractibus ſtriatis.

Dan. CASTANIE-SNEKKEN.

diam. 17 lin.

Media inter variet. H. *citrinæ* rufo-fuſcam & H. *oculus Capri*, diſtincta tamen ſpecies eſt.

Teſta pellucida, ſupra & ſubtus convexa, dura, craſſa, luteo-caſtanea, absque nitore, ſtriis confertis argutis inſignita; nullas lineas concentricas, nec puncta elevata, in hac oculus armatus

detegit. *Anfractus* ſeptem, faſcia anguſta rubra in medio majoris carinam mentitur, ſupra adjacente alia albida. Centrum ad apicem usque perforatum, patulum, anfractus ullus in eo ægre conſpicuus. Area centri maculata, ſeu ſaturatius caſtanea. Apertura lunata absque labio.

In Muſeo *Spengleriano*.

263. HELIX CRENULATA.

HELIX teſta perforata, globoſa, ſubcarinata, ſtriata, alba, faſcia fuſca.

LIST. *Synopſ.* t. 85. f. 85.

Dan. DEN KERVEDE SNEKKE.

diam. $3\frac{1}{2}$ lin.

Teſta alba ſtriis minutiſſimis, convexis tamen, ipſa carina ex ſtriis quaſi crenulata; hoc oculo armato melius videtur. *Faſcia* fuſca omnes ſpiras percurrit; ipſe apex fuſcus eſt. Subtus ſolito convexior faſcia media fuſca, lata; huic, qua umbilicum ſpectat, alia tenuis adjacet; area interjecta maculis teſſellata. Sub carina ſeu margine acuto ſpiræ majoris conſpicitur alius parvus margo, ſeu inciſio concentrica huic helici propria. *Foramen* centri patulum, at nullæ in eo ſpiræ viſibiles. *Apertura* lunata, labro acuto. *Anfractus* quinque.

In Gallia Lionenſi.

264. HELIX GLOBULUS.

HELIX teſta globoſa, ſubumbilicata, alba, labro reflexo.

COCHLEA terreſtris vulgaris ſubrotunda, candida, ore ex rufo infecto, mucrone parum prominente, transverſim rugoſa. GUALT. *teſt.* t. 2. f. C.

COCHLEA

Cochlea leviter umbilicata quatuor orbium, quorum tres infimi exigui ſunt. List. *Synopſ.* t. 44. f. 41.

Dan. KUGLE-SNEKKEN.

diam. 12 lin.

Ab H. *lucana*, cui prima facie ſimilis eſt, diſtinguitur, quod in illa latitudo altitudinem ſuperet, umbilicusque diſtinctus per omnes anfractus conſpicuus, vertexque depreſſus ſit.

Teſta alba, immaculata, unicolor, glabra, craſſiuſcula, transverſim ſæpe ſubcoſtata, coſtis diſtantibus, ſat parum conſpicuis. *Foramen* in centro diſtinctiſſimum, ſubumbilicatum, pervium, unico tantum anfractu conſpicuo, licet labrum ſubreflexum jam perfectum ſit. *Apertura* concolor, lunata. Anfractus quinque; vertex elatus non depreſſus. Labrum craſſum reflexum. Teſta rubore ſæpe ſuffunditur.

In Muſeo *Spengleriano*.

265. HELIX UNGULINA.

Helix teſta globoſa, utrinque umbilicata, luteorufa, apertura lunata, labro reflexo, albo.

Helix teſta umbilicata, convexa, apertura marginata, ſuborbiculata, ſupra elongata. Lin. *Syſt.* 682. Mus. L. U. 668.

Serpentulus Lapillus. Klein. *oſtrocod.* t. 1. f. 11.

Rumph. *Muſ. amboin.* t. 27. f. R.

Seb. *theſ.* t. 40. f. 11.

Petiv. *gaz. amboin.* t. 12. f. 13.

Dan. ÆBLE-SNEKKEN.
Gall. CORNET DE CHASSEUR.
Angl. THE KLIPT CAKE KELL.

diam. 16 lin.

Teſta figura pomum refert, rufo-luteſcentis coloris. Subgloboſa & ventricoſa, glabra, nitida, transverſim ſubtiliſſime ſtriata; ſupra depreſſa; centro umbilicata; omnes enim anfractus extimo excepto in umbilicum deprimuntur. Subtus convexus, anfractus vero extimus inclinatur verſus umbilicum, in quo anfractus omnes tantillum conſpicui. *Apertura* lunata, ſupra elongata; *Labrum* album reflexum; *Faux* ſubpurpurea. *Apertura* in figuris *Rumphii & Kleinii* ſubtus elongata eſt, ipſaque cochlea Kleinii ſiniſtrorſim picta; utrumque minus in noſtra obtinet; nec Synonymon, quod perilluſtres a *Linné* ex Petiver, clariſ. *Chemnitz* ex Gualtieri petiit, huic convenit.

Fig. 11. in theſ. *Seb.* noſtræ quadrat, at minus 12, quæ, licet eadem ac 11 dicatur, aut vitio pictoris, aut commentatoris, diverſa videtur.

In Muſeo *Spengleriano.*

266. HELIX VARICA.

HELIX teſta globoſa, umbilicata, flaveſcente-albida, anfractibus ſiniſtrorſis, extimo divaricato.

Dan. SKÆV-LINKS-SNEKKEN.

diam. 19 lin.

Teſta ſiniſtrorſa, ſubgloboſa, dura, parum pellucida, alba, nebula flaveſcente-fuſca cooperta. *Anfractus* quinque rotundati margine, quo ſuperne junguntur, planiuſculi; extimus ventricoſus divaricatus in aperturam lunatam & largam excurrit. Margo aperturæ acutus; labium interius columellæ adnatum. *Umbilicus* diſtinctus, pervius, patulus, at anfractus vix duo in eo obſervabiles.

Ob divaricationem anfractus majoris teſta hæc non in baſi ſed in apertura parieteque huic obverſo quieſcit.

Linnæi

Linnæi H. *luſitanicam* dicerem, cum deſcriptio, niſi obſtaret, quod ſit ſiniſtrorſa, cujus ne verbo meminit, in omnibus conveniat; dicerem Cochleam Gualt. t. 2. f. T. quam Linnæus nullo habito reſpectu ad ſtructuram ejus ſiniſtrorſam, ſuæ ſubſcribit, niſi in figura & deſcriptione exactiſſimi Gualtieri adverſaretur umbilicus ampliſſimus & profundiſſimus, in quo anfractus omnes obſervantur.

Mirari tamen vix deſiſto, nec ipſum *Gualtieri*, qui nitidam figuram pingi & incidi curavit, nec illuſtrem a Linnè, qui figuram ſuæ *Luſitanicæ* ſubſtituit, nec demum Linnæi diſcipulum, qui in diſſertatione, quæ inſcribitur *fundamenta Teſtaceologiæ*, eandem ſiniſtrorſim ære inciſam rurſus exhibet, in turba dextrorſarum ejusdem tabulæ animadvertiſſe figuram ſiniſtrorſam eſſe; calcographum tamen, qui cætera exactiſſime expreſſit, hanc quoque juſte expreſſiſſe, absque dubio eſt.

In Muſeo *Spengleriano*.

267. HELIX FRUTICUM.

HELIX teſta globoſa, umbilicata, apertura elabiata.

SCHRÖTER *von Erdkonchylien um Thangeiſtedt*, p. 178. n. 55-59. t. 2. f. 19.

Dan. KRAT-SNEKKEN.

diam. $7\frac{1}{2}$ lin.

α *pallide lutea, punctis ſparſis aureis.*

Teſta punctis aureis pulcherrima, ſplendidiſſima.
Limax cineraſcens.

β *pallide lutea, maculis & punctis nigricantibus.*

Limax nigricans.

γ *ſulphu-*

γ *ſulphurea, maculis & punctis nigris.*

δ *ſulphurea, faſcia purpurea, maculisque nigris variis.*

Color ſaturate luteus, verſus aperturam maculæ parvæ & puncta nigricantia, cæterum immaculata. Faſcia ſplendida, purpurea, rubra medium ſpiræ majoris occupat. Pes *limacis* ſulphureus eſt.

ε *luteſcens, faſcia purpurea, punctisque nigris crebris.*

ζ *fuſca, punctis maculisque nigris.*

η *ſaturate rubra, punctis maculisque nigris.*

ϑ *ſaturate rubra, faſcia purpurea, punctis maculisque nigris.*

Hi teſtarum colores, puncta, maculæ, faſcia in varietatibus omnis ætatis conſtanter, quamdiu teſtæ, limace foetæ ſunt, vacuæ vero dictis coloribus, punctis & maculis omnibus deſtituuntur, ac vel albæ vel roſaceæ, immaculatæ, corneæ, pellucidæ perſiſtunt, albæ nempe α - ε, rubræ ζ - ϑ. Faſcia tamen immutabilis permanet.

Statura & figura H. nemoralis, at *teſta* fragilior, magis pellucens; *Anfractus* ſex; *Umbilicus* diſtinctus, ut in nulla magis. Margo aperturæ in adultis & majoribus æque acutus ac in junioribus & minoribus absque omni labro, mihi ſaltem ſpatio trium annorum centenas examinanti nulla labro vel ejus rudimento inſtructa ſeſe unquam obtulit, cum vero limaces in copula deprehendere nondum contigerit, de futura labii accretione judicium meum interponere minus audeo.

Limax albus, pallidus, maculatus, nigricans, cineraſcens, vel ater. *Tentacula* communiter nigra. Ipſum limacis corpus magis

magis rotundatum, quam in H. *nemorali*, ſive ſubcylindraceum, minus humidum & viſcidum, magis ruguloſum.

In fruticetis, *Urticas* imprimis, *Rubos*, *Serratulasque* inhabitat; in ſepto juxta diverſorium, vulgo *Fortunen*, Vivarii Regii, copioſe.

268. HELIX HISPIDA.

HELIX, teſta ſubgloboſa, umbilicata, hiſpidoſa.

HELIX teſta umbilicata, convexa, hiſpida, diaphana, anfractibus quinis, apertura ſubrotundo-lunata. LIN. *Syſt.* 675.

COCHLEA dilute rufeſcens, aut ſubalbida, ſinu ad umbilicum exiguo, circinnato. LIST. *an. angl.* p. 125. t. 2. f. 12.

COCHLEA teſta utrinque convexa, hiſpida, ſubtus perforata, ſpiris quinque rotundatis, apertura ovata. GEOFR. *Conchyl.* 11.

COCHLEA lutoſa. PETIV. *gaz.* t. 93. f. 13.

Berl. Magaz. 2. B. p. 607. t. 3. f. 34.

SCHLOTTERB. *act. Helv.* vol. 5. t. 3. f. 13.

SCHRÖT. *Erdkonch.* p. 186. t. 2. f. 21.

GIN. *op. poſt.* Tom. 2. p. 59. t. 3. n. 21.

Dan. BÖRSTE-SNEKKEN.

Germ. DIE SAMMET-SCHNECKE; DIE RAUHE SCHNECKE.

Gall. LA VELOUTEE.

Ital. LUMACA ECHINATA.

diam. $\frac{1}{2}$ - $3\frac{1}{2}$ lin.

Teſta rotundata, pellucida, ſetis plerumque obſita, fuſca, fulva, flava, cineraſcens, cornei ſæpe coloris; aliam varietatem inveni maculis & punctis nigris, hæc pallio Limacis debebantur. *Setæ* ſive pili pallidi in multis breviſſimi, oculo armato videndi, in paucis quadruplo longiores, apice incurvati, in pluribus omnino evaneſcunt, rudimento eorum circa umbilicum in multis ſuperſtite. Anfractus quinque & ſex. Juniores teſtæ diametro $\frac{1}{2}$ lineæ, trium anfractuum, brunneæ, læves absque omni ſeta, aut villo, ne microſcopio quidem, conſpicuo.

Limax niger eſt.

Specimen quinque linearum diametro in Helvetia reperi; variat vertice depreſſo.

In campis & hortis ubique.

269. HELIX CEPA.

HELIX teſta ſubgloboſa, umbilicata, ſubcarinata, luteſcente, faſcia albida; apertura transverſa, bidentata, pone ſinuata.

COCHLEA ſubrufa bidens, unus ex parte columellæ, alter ſub labro, contra quem extus conſpicitur profundus ſinus margine obtuſiore. LIST. *Syn.* t. 88. f. 89.

Dan. RÖD-LÖG-SNEKKEN.

diam. 15 lin.

Structura *H. ſinuatæ* accedit.

Teſta globularis, ſupra & ſubtus convexa, pallide rufa, faſcia albida, obſoleta, inter carinam & junctúram. *Anfractus* quinque contigui tantillum eminentes. *Apertura* lunata adeoque abbreviata eſt, ut peripheria Helicis fere circularis ſit. *Labrum* vix reflexum; *labium* reflexum, craſſum, foramen cavitatemque dentis

dentis vicini claudere minatur; *dentes* duo majuſculi, alter in ipſo labio, alter in medio aperturæ, hujus veſtigium extus aliquantum a margine aperturæ remotum lacuna pertuſa exhibet. Fimbria parieti oppoſito utrinque agglutinata. Foramen elongatum, pervium eſt, umbilicatum ſuſpicor; teſtam vero raram deſtruere nec licuit, nec lubuit.

In Muſeo *Suhmiano*.

270. HELIX LUCANA.

HELIX teſta ſubgloboſa, umbilicata, ſubtus gibba, labro reflexo, candido.

ARGENV. *Conchyl.* 1. t. 28. f. 7.

Dan. LUND-SNEKKEN.

diam. 13 lin.

H. *nemoralem* refert, at diverſiſſima.

Teſta globoſa, glabra, pellucida, absque ſtriis, faſciis aut maculis, vertice obtuſo. *Anfractus* quinque, extimus valde convexus, elatior magisque effuſus, quam in *nemorali*. *Centrum* ad apicem usque pervium. Umbilicus diſtinctus anfractibus in eo conſpicuis. *Apertura* lunata. *Labrum* craſſum, reflexum, politiſſimum, & quaſi argentatum, labio anfractui incumbente.

Teſta variat tota candida, vel ſupra lutea, ſubtus & in junctura ſpirarum alba, labro candido. Vertex in figura nimis acuminatus.

In Muſeo *Spengleriano*.

271. HELIX VITTATA.

HELIX teſta ſubgloboſa, ſubumbilicata, alba, faſciis crebris brunneis, vertice cæruleo, labro reflexo, albido.

Dan. LIIN - SNEKKEN.

diam. 9 lin.

Facies H. *nemoralis* at diverſiſſima, lignum exſiccatum cum venis concentricis quodammodo referens.

Teſta opaca, alba, faſciis plurimis brunneis diverſæ latitudinis & coloris gradus; in extimo anfractu quarundam duodecim, aliarum quindecim, in interioribus duas numero; apex ſive anfractus intimus ex nigro cæruleus. Anfractus quinque. *Apertura* & paries oppoſitus nigro-fuſcus; *Labium* acutum, ſubreflexum, ſummo margine album. *Umbilicus* diſtinctus, pervius; unicus anfractus tantum in eo conſpicuus.

In littore Aſiæ, Coromandel. In Muſeo *Spengleriano*.

272. HELIX ROSACEA.

HELIX teſta ſubgloboſa, ſubumbilicata, incarnata, transverſim ſtriata; labro reflexo, fuſco.

Dan. ROSEN - SNEKKEN.

diam. 19 lin.

Hel. *Pomatiam* ſtatura refert, at major & fere umbilicata eſt.

Teſta ventricoſa intus & extus candide incarnata, ſtriis transverſis ſubtiliſſimis, in majori anfractu ſuturam verſus albis & magis conſpicuis. *Anfractus* quinque. *Foramen* centri largum, profundum,

profundum, ad verticem usque penetrans, ut jure umbilicus dici poſſit, at unicus tantum anfractus conſpicuus, qui in ipſo foramine rugoſus eſt. *Apertura* lunata, roſea, paries oppoſitus fuſcus politiſſimus, rudimento argentato membranulæ incumbentis didiſtinctus. *Labrum* reflexum, ſupra album.

In Muſeo.

*** trochiformes.

273. HELIX CAROCOLLA.

HELIX teſta imperforata, trochiformi, carinata, oblique ſtriata, labro transverſali albo.

α *teſta brunnea.*

HELIX teſta carinata, imperforata utrinque convexa; LIN. *Syſt.* 665. MUS. L. U. 664.
LIST. *Syn. Mantiſ.* t. 1055. f. infra ad dextram; in edit. nova fig. 5.

Dan. DEN BRUNE LAMPE-SNEKKE.

diam. 23 lin.

β *teſta nigro-caſtanea.*

COCHLEA ingens pulla. LIST. *Syn.* t. 63. f. 61.
ARGENV. *conchyl.* t. 8. f. D.

Dan. DEN MÖRKE-BRUNE LAMPE-SNEKKE; GAMLE LAMPE.
Gall. LA LAMPE ANTIQUE.

diam. 18 lin.

Teſta utrinque ſtriata, in trochum elevata, α colore variat, tota enim brunnea, vel ſupra brunnea, ſubtus alba, vel ſupra

pallida luteſcens, ſubtus alba. Carina in quibusdam alba, infra hanc faſcia fuſca, in aliis faſcia obſcure rufa ſupra eandem; hæc ad minores usque anfractus excurrit. *Anfractus* ſex ſubconvexi, minus lati; quam in H. *Placenta*; extimus carinæ vicini continuo affigitur. *Labium* album vix reflexum, parumper incraſſatum. Centrum absque foramine aut umbilico, in adultis ſaltem, totum lacinia labii obtectum eſt. Subtus planiuſcula; *Faux* alba; *Apertura* transverſa triangularis. *β* nigricans & quaſi fumigata eſt, absque omni faſcia aut macula, faux pallida; Labrum ſolum candidum. Anfractus quinque.

Huddesford, qui opus *Liſteri* indicibus auxit, figuram 95. tab. 94. dentibus &c. manifeſte diverſam, *Carocollam* perperam dicit, vera ſynonyma negligens.

In Muſeis paſſim.

274. HELIX HÆMASTOMA.

HELIX teſta imperforata, trochiformi, caſtanea, faſcia alba, apertura ovali, labro reflexo, ſanguineo.

HELIX teſta imperforata, ſubrotunda, fuſca, faſcia longitudinali alba, apertura purpurea. LIN. *Syſt.* 694. Mus. L. U. 671.

BON. *Muſ. Kirch.* Cl. 3. f. 364.

GEVE. t. 28. f. 328. 329.

SEB. *theſ.* 3. t. 40. f. 6. 7.

Dan. ROSEN-MUND-SNEKKEN; DET HVIDE BAAND.

baſis 15 lin.

axis 11 lin.

Teſta dura, craſſa, vix pellucens, ſubovata, ſtriata, colore ſplendido, caſtaneo, nitida. *Anfractus* vix quinque, extimus faſcia

faſcia lata candida infra medium diſtinctus. *Apertura* ovalis alba. *Labrum* dilatato-reflexum, ſplendide ſanguineum, ſeu roſaceum, columellæ adnatum, ipſa area centri concolor; hac ratione pagina anfractus inferior faſciis tribus inſignitur: roſacea caſtanea & alba.

In Muſeo *Spengleriano.*

275. HELIX TROCHUS.

HELIX teſta perforata (imperforata) trochiformi, conica, alba, faſcia lata rufa, vertice obtuſo.

Dan. TOP-SNEKKEN.

diam. 10 lin.

Coloribus H. *Pileum* refert, at ſtructura & pictura diverſa.

Teſta quodammodo conum truncatum imitatur, ſubtus planiuſcula, apice obtuſo alba, ſtriata, absque nitore, faſcia latiſſima rufa medium anfractuum percurrit. *Anfractus* convexi ſex. *Apertura* lunata absque labro, intus alba, absque faſciæ veſtigio. Foramen in perfectis claudi, labrumque enaſci ſuſpicor.

In Muſeo *Spengleriano.*

276. HELIX TROCHULUS.

HELIX teſta imperforata trochiformi, fuſca, glabra; apertura edentula, labro nullo.

Dan. TRILDE-SNEKKEN.

long. $\frac{1}{2}$ - 2 lin.
lat. baſ. $1\frac{1}{4}$ lin.

Teſta

Teſta pyramidalis, impura, ita enim limo conſtanter obducta eſt, ut nec color ſpiræ, nec quidem figura inquiri poſſit, depurgata vero, obſcura, fuſca glabraque absque ſtriis; armato oculo ſtriæ quidem ſubtiliſſime conſpiciuntur, at vix hoc nomen merentur. *Anfractus* quinque vel ſex; major ſive infimus, cæteris latior, parumque complanatus, ut teſta baſi impoſita, erecta perſiſtat. *Apertura* ſubquadrata, margine acuto; ultra quinquaginta ſpecimina diverſo tempore inveni, nec ullum labro donatum. *Limax* pallidus; *tentacula* nigra, reſpectu corpuſculi longa.

In truncis fagorum ac palis putreſcentibus glebulam terræ vel excrementa Lumbrici mentitur; hinc inquiſitionis huc usque ſecurus fuit.

277. HELIX PILEUS.

HELIX teſta trochiformi, alba, faſciis rufis; apertura transverſa, ampla; labro ſubreflexo.

Dan. HUE-SNEKKEN.

long. 15 lin.
lat. 12 lin.

faſciis tribus.

β *faſciis quatuor.*

γ *faſciis quinque.*

Teſta pellucida, glabra, alba, rufo-faſciata, trochum, quo ludunt pueri exacte referens. *Anfractus* ſex faſciis læte rufis, numero & latitudine variantibus; conſtantes & in omnibus ſunt faſcia in pagina inferiori ſeu baſi latiſſima, & altera anguſta in ipſa anfractuum junctura, inter has dorſum anfractus notatur unica latiſſima: duabus, altera latiſſima, altera anguſta: tribus: harum omnes

æquales

æquales, vel ſuperior anguſtiſſima eſt; vel inferior latiſſima, ſuperioresque æquales ſunt; in ultima varietate ſuperioribus faſciis ſubjacet alia tenuiſſima flavicans. Apex teſtæ rufus. *Apertura* transverſa, at non depreſſa, ſed ampla & valde elevata. *Labrum* album, acutum, ſubreflexum; rimula pone labium ſiniſtrum in axi.

In Muſeo *Spengleriano.*

278. HELIX LYCHNUCHUS.

HELIX teſta imperforata, carinata, alba, trochiformi, faſciis fulvis, apertura transverſali, bidentata.

COCHLEA leviter umbilicata, margine valde acuto, clavicula compreſſiore, bidens ex parte tantum columellæ. LIST. *Syn.* t. 90. f. 90.

Dan. DEN BANDEDE LAMPE.

diam. 11 lin.

Inter H. *Lucernam* & *Lychnum* media; ab hac labio aperturæ interiore, uti in *Lucerna*, bidentato, centroque clauſo, ab illa vertice, non anfractibus, depreſſo, ab utraque faſcia in ſuperiore anfractus parte duplici, altera juxta marginem, altera juxta carinam, in inferiore intra carinam poſita. Color faſciarum circa centrum ſubtus, & in parte anfractus aperturæ oppoſita fulvus.

In Muſeo illuſtriſſimi Comitis a THOT.

279. HELIX ACULEATA.

HELIX teſta trochiformi, umbilicata, utrinque convexa, fuſca, coſtis aculeatis; labro albido.

Dan. PIG-SNEKKEN.

diam. $\frac{3}{4}$ lin.

Teſta ſubpellucida, cinereo-fuſca, ſupra convexa, anfractibus vix quatuor rotundatis, ac uti in Neritis elevatiuſculis, ſubtus unico, umbilicoque diſtincto. *Anfractus* extus & intus ornantur coſtis transverſis, filiformibus, albidis 28 vel 30 in ſingulo. Extus e medio cujuslibet coſtæ *ſpinula* rigida coſtæ concolor, baſi triangularis, apice acuta, & reflexa erigitur. *Apertura* ſublunata, fere circinnata, labro ſubreflexo, membranaceo, albido, acutiuſculo. *Labrum* in junioribus acutum quidem eſt, at nec albidum nec reflexum.

Limax maximam partem albus pellucens; caput & tentacula nigricant. Feſtive repit, teſtam dorſo adeo erigendo, ut a corpore quaſi remota videatur.

In ramuſculis ſaginis, aridis, rara.

280. HELIX VOLVULUS.

HELIX teſta trochiformi, umbilicata, acuminata, variegata; apertura circinnata, labro reflexo.

Dan. DEN BRUNE ORM-SNEKKE.

α *rufo-fuſca, faſcia lata ſaturatiore.*

diam. 11 lin.

β *luteo & rufo variegata, ſubtus alba, lineis concentricis obſoletis.*

COCHLEA umbilicata majuſcula, ore ſive teſtæ apertura fere circinnata, faſciata, ex fuſco variegata. LIST. *ſynopſ.* t. 50. f. 40.

SEB. *theſ.* 3. t. 40. f. 18. 19.

diam. 14½ lin.

γ *lutea*

γ luteo & rufo variegata, ſubtus alba immaculata.

PETIV. *gazophyl.* t. 77. f. 6.

diam. 22 lin.

Anfractus teſtarum in præcedentibus, licet quidem convexi ſint, magis tamen in planum & plerumque in planum inclinatum vergunt, hujus vero maxime convexi & protuberantes, ut unus alteri impoſitus dicatur, cum illi tantum accumbunt.

Teſta in α glabra craſſiuſcula, colore rufo & fuſco mixto undique variegata, ſubſtriata; anfractum majorem in medio percurrit faſcia lata ſaturate rufa. *Apertura* ex pellucenti fuſco-purpurea.

In β teſta craſſa, glabra, nitida, ſubſtriata, atomis & maculis luteo-fuſcis perfuſa, faſcia marginali concolore; ſubtus candida, lineis tribus rufeſcentibus, quarum infima in umbilico ad apicem cochleæ usque penetrare conſpicitur, intus alba.

γ cum α convenit, at ſubtus per omnes anfractus in umbilico amplo conſpicuos, alba, cæterisque multoties major eſt. Labrum reflexum, flavicans; Faux alba.

In quavis *anfractus* quinque cum ſemiſſe, valde convexi, a lata baſi in mucronem acutum terminantur. *Umbilicus* pulchre pervius, anfractibus conſpicuis. *Apertura* circularis. *Labrum* reflexum, craſſum, album. Splendidæ amplitudinis varietatis γ ratio an in nutrimento, in climate, aut ſpecie diverſa quærenda?

α & β in Muſeo *Spengleriano*, γ in Regio.

281. HELIX INVOLVULUS.

HELIX teſta trochiformi, umbilicata, acuminata, alba, ſtriis ſpiralibus convexis; apertura circinnata, labro reflexo.

Dan. DEN HVIDE ORM-SNEKKE.

α teſta, alba, immaculata.

LIST. *Syn.* t. 75. f. 75.

β teſta, alba, faſcia maculisque rufis.

diam. 13 lin.

Facies præcedentis, at ſtriis ſubtiliſſimis longitudinalibus & in dorſo concentricis lineis aliquantum elevatis diſtincta absque nitore. Labrum minus reflexum, nec adeo craſſum, at hoc ætati debetur, *α* tota alba absque maculis aut faſcia; *β* ſubtus alba, faſcia ſaturatiſſime rufa, infra marginem anfractus majoris, in dorſo lutea ſtrigis undulatis transverſis fuſcis pulchre diſtincta, hæ in quibusdam obſoletæ evaneſcunt; cætera uti in antecedente.

In Muſeo *Spengleriano.*

282. HELIX TRICARINATA.

HELIX teſta trochiformi, ſubumbilicata, acuminata, ſtriis convexis, carinaque triplici, ſpiralibus, apertura dilatata.

Dan. TREKANT-SNEKKEN.

diam. 11 lin.

Teſta pulchritudine ſtructuræ nulli ſecunda, pallida, ſtrigis transverſis ſtriisque ſpiralibus, obſolete luteis. *Anfractus* quinque

que plus ſolito prærupti ſtriis plurimis convexis, tribusque majoribus elevatis acutis, ſpiralibus inſigniti. *Apertura* fere circularis; labrum dilatatum, album, margine acuto. *Axis* perforatus, vel ſubumbilicatus protruſione labii non prorſus tectus.

In Muſeo Regio.

* * * * ovatæ.

283. HELIX OVATA.

HELIX teſta perforata, ovato-ventricoſa, ſtrigata, apice coſtato, labroque roſeis, columella candida.

Dan. EGG-SNEKKEN.

long. 4 unc. 3 lin. lat. 2 unc. 3 lin.

H. *oblongæ* accedit, at ſpecies diverſiſſima.

Teſta craſſa, lumini obverſa ſubpellucida, ventricoſa, lutea, clavicula roſea. *Anfractus* ſex, majores duo ſtrigis longitudinalibus fuſcis faſciarum inſtar, reliqui coſtis ſeu lineis elevatis inſigniuntur. Epidermis in majori anfractu ruguloſus. Apertura ovalis. Faux & paries oppoſitus cum labio adnato lacteus eſt. *Labrum* craſſum, reflexum, roſeum, in medio (ab angulo meriendo) ſplendide incraſſatum, nota huic ſpeciei propria. Pone labrum foramen. Axis uti in H. *oblonga*.

E rariſſimis Cochlearum terreſtrium.

In India Orientali, inque Muſeo *Spengleriano*.

284. HELIX OBLONGA.

HELIX teſta perforata, ovato-oblonga, ſtriata; labro columellaque roſeis.

BUCCINUM admodum craſſum, ingens quinque orbium leviter purpuraſcens. LIST. *Syn.* t. 23. f. 21.

SEB. *theſ.* 3. t. 71. f. 17 - 20.

Dan. AFLANG-SNEKKEN.

long. 3 unc. 5 lin. - 4 unc. lat. 18 - 21 lin.

Teſta craſſiuſcula, pallida, vel ex albo luteſcens, pellucida, ſtriata; ſtriæ ſubrugoſæ confertæ, longitudinales, concolores. *Anfractus* ſex; major junĉturam verſus albidus, adeo ut faſcia alba cinĉta videatur. *Apertura* ovalis; *Faux* albida; *Labrum* craſſum, reflexum, intus & extus una cum pariete oppoſito roſeum. Pone labrum in axi rimula anguſta, ſeu foramen, nulla ratione umbilicatum.

Multa communia habet cum H. *roſacea*, in qua ſtriæ rectius *longitudinales* dicendæ, ſtatura vero & apertura diverſa eſt.

Seba in opere immenſo, nimis obiter, oſcitanter & incurioſe conſcripto, huic ſpeciei nomen *Cochleæ lævæ* datum aſſerit, quia nonnullæ earum os a ſiniſtra poſitum habent, in figuris tamen dextrorſarum pro more prodigus, nullam ſiniſtrorſarum dedit. Tab. 37. f. 36. *Liſt.* Syn. ſiniſtrorſam offert, quæ vero an ſpecie differat, cum in hoſpites teſtarum, ſola contraria circumactione diverſarum, inquirere nondum contigit, minus tute differitur.

In Muſeo *Fabriciano.*

285. HELIX.

285. HELIX FLAMMEA.

HELIX testa perforata, oblonga, alba, fasciis longitudinalibus rufis; axi reflexo recto.

ADANS. *test. Senegal.* p. 14. t. 1. f. 1. Cochlea Kambeul.

Berl. Magaz. 3. B. p. 119. t. 5. f. 49 & XLIX.

Dan. FLAMME- SNEKKEN.

long. 18 - 28 lin. lat. 9 - 11 lin.

Testa tenera, pellucida, glabra, albida, achatina, fasciis longitudinalibus subundatis, saturate rufis, seu cruentis. Anfractus *octo* vel novem, æqualiter decrescentes, maximus non ventricosus. *Apertura* angustior, quam in Buce. *achatino* aut *Zebra*, ob axim perpendiculariter erectum fere triangularis. Labrum exterius acutum indestinctum, interius ad axin reflexum, candidum & nitidum, foramen seu canaliculam exteriorem format. Faux cærulescens fasciis pellucentibus; Paries oppositus nudus h. e. absque ullo labii rudimento, testæ concolor.

Numerus fasciarum variat; foramen in adultis claudi censeo. Fasciæ injuria tempestatum in quibusdam adeo delentur, ut totæ albæ & immaculatæ reperiantur.

Anfractus major & apertura in nostris minus larga quam in figuris Clariss. *Adanson*, ceterum conveniunt.

In *Guinea* ad arcem *Christiansburgensem*, unde mihi plures attulit F. *Masman*, Chirurgus, terrestrem affirmans.

286. HELIX PYTHIA.

HELIX teſta ſubumbilicata, ovata, utrinque ſubcarinata, apertura dentata.

HELIX teſta ovata ſubancipiti, apertura dentata. LIN. *Syſt.* 655. MUS. L. U. 663.

COCHLEA compreſſa variegata, lateribus acutis, ſenis minimum dentibus donata. LIST. *Synopſ.* t. 577. f. 31.

COCHLEA imbrium. RUMPH. *Muſ.* t. 27. f. J.

COCHLEA Bengalenſis ore lacero. PETIV. *gazophyl.* t. 4. f. 10. it. *amboinſ.* t. 12. f. 8.

TURBO terreſtris inſigniter ventricoſus, umbilicatus, ore anguſto, oblonge utrinque dentato, colore ſubflavo, maculis fuſcis nebulatus & variegatus. GUALT. *teſt.* t. 4. f. S.

DONTOSTOMA dentibus utrinque mucronatum, depreſſum. KLEIN. *ortroc.* v. 43. p. 17, 4.

ANGYSTOMA fimbriatum, & dentatum hexaodon ore laterali. KLEIN. *oſtrocod.* §. 31. p. 11. e, t. 1. f. 23.

ARGENV. *Conchyl.* 1. t. 9. f. T.

Berl. Magaz. 3. B. p. 149. t. 6. f. 67.

BON. MUS. *Kirch.* p. 473. f. 370.

SEB. *theſ.* vol. 3. t. 60. infra in angulo.

Dan. KIERLING-SNEKKEN.

Germ. DIE BASUN-, STURM-SCHNECKE; JUDÆ OHR; DAS ALTE WEIB MIT ZÄHNEN; DIE REGENSCHNECKE.

Gall.

Gall. GUEULE DE LOUP.

Angl. RIVER RAGGEDMOUTH.

Belg. TOOVER-SLAK; TOOVERAAR; STORM-SLEK; ONWEERSHORN; OUDE WYT MET TANDEN.

long. 6 - 15 lin. lat. 4 - 8 lin.

Teſta procumbens pellucida, ovata, acuminata, dorſo & ventre æqualiter convexa, lateribus angulata ſive ſutura ſcalari diſtincta. Color teſtæ albidus vel flaveſcens maculis inæqualibus fuſcis ſparſis, ſuturæ vero candidus. *Anfractus* octo vel novem glabri, ſuperne juxta junctúram ſtriis crebris profundis notati. *Apertura* arcuata, juxta anfractum anguſtior, utrinque dentata; dentes compreſſi ad columellam & parietem aperturæ oppoſitum tres majores, intra labium exterius tres vel quatuor minores. Labium interius in axin reflexum. Centrum pone columellam ſubumbilicatum, non pervium. Apex plerumque obſoletus. *Faux* pallida maculis pellucentibus. Singularis mihi videtur hujus teſtæ ſtructura, ex minoribus enim exemplaribus ore dentato jam inſtructis ſuſpicor, quemlibet gradum ſuturæ, quæ ab utroque latere ſcalæ inſtar cernitur, intus dentibus inſtructum eſſe. Limax dehinc in quovis anfractu aperturam bis dentibus armat.

Ex qualicunque ſimilitudine, quam ſibi finxerunt autores, hanc teſtam *anum*, *ranam*, *teſtudinem*, *ſcarabæum*, *amygdalum* &c. nominaverunt, nos ne ſcientia nominibus vagis & inanibus obruatur, a primo & vulgari invite ſecedendum cenſemus.

In montibus Indiæ.

* * * * * conicæ.

287. HELIX DEXTRA.

HELIX teſta conica, flava, labro reflexo, albo.

Dan. DEN GULE REKTS-SNEKKE.

α citrina, immaculata.

PETIV. *gazophyl.* t. 44. f. 7.

long. 18½ lin. lat. 10 lin.

β ſulphurea, ſtriga obliqua, ſaturate fuſca.

long. 19 lin. lat 9 lin.

γ candida, varie maculata.

long. 22 lin. lat. 12 lin.

Varietates hæ quam maxime referunt varietates ſequentis, circumvolutionem in oppoſitum latus ſi excipias.

Teſta glabra; anfractus ſex vel ſeptem a ſiniſtra in dextram convoluti; apertura ovata; labrum candidum, craſſum, reflexum. Faux in *α* & *β* albiſſima, paries oppoſitus in omnibus labro rectus candido. *α* aurantii coloris absque ſtrigis aut maculis. *β* ſulphurei ſtriga ſanguinea in maximo anfractu juxta angulum aperturæ, alteraque labro extrorſum coadunata. *γ* major & ventricoſior, candida & diverſicolor; anfractus bini majores cæruleo & rufo mixti, ſtrigis quatuor inæqualibus, albis, faſciaque luteorufa inſigniti Faux cæruleſcens.

α & *β* in Muſeo *Spengleriano*, *γ* in Muſeo celeb. *Cappel*, pharmaceutæ Havnienſis; ſiniſtrorſis rariores.

288. HELIX SINISTRA.

HELIX teſta conica, ſulphurea, ſiniſtrorſa, labro albo, reflexo.

HELIX teſta ſubumbilicata ovato-oblonga, contraria, ſulphurea. LIN. *Syſt.* 688. Mus. L. U. 669.

Dan. DEN GULE LINKS-SNEKKE.

α ſulphu-

α *ſulphurea, immaculata.*

Buccinum citrinum ſex orbium, ore albo. List. *Synopſ.* t. 34. f. 33.

Buccinum fluviatile colore citrino ſplendidiſſimum, ſex ſpiris finitum. Gualt. *teſt.* t. 5. f. P.

Argenv. *Conchyl.* 1. t. 9. f. G.

Berl. Magaz. 3. B. p. 122. t. 5. f. 50?

Bon. Mus. *Kirch.* cl. 3. f. 399.

Seb. *theſ.* 3. t. 40. f. 37.

long. 18 lin. lat. 10 lin.

β *ſulphurea, ſtriga obliqua, ſaturate fuſca.*

long. 19 lin. lat. 9 lin.

γ *ſulphurea, maculis diverſicoloribus.*

Buccinum citrinum e rufo radiatum. List. *Synopſ.* t. 35. f. 34.

Buccinum fluviatile, ventricoſum, læve, a dextra in ſiniſtram convolutum, colore ex albo fulvido, ex rufo radiatum, ore candido, labio exteriore fimbriato, & linea rufa depicto, intus caſtanei coloris, quinque ſpiris finitum. Gualt. *teſt.* t. 5. f. O.

Petiv. *gazophyl.* t. 76. f. 5.

long. 21 lin. lat. 9 lin.

ε *ſulphurea, macula viridi, faſcia rufa.*

long. 20 lin. lat. 8 lin.

δ *candida, macula rubra.*

long. 22 lin. lat. 10 lin.

η *candida, maculis diverſicoloribus.*

Bon. Mus. *Kirch.* Cl. 3. f. 401.

Buccinum majus ſeptem ſpirarum, ex rufo radiatum. List. *Syn.* t. 9. f. 4. at dextrorſa eſt.

Seb. *theſ.* 3. t. 40. f. 37.

long. 24 lin. lat. 11 lin.

Teſta eadem ac præcedens, circumactione ſpirarum excepta, quæ fit a dextra in ſiniſtram. *Anfractus* ſex, ſeptem vel octo; *Labrum* candidum, craſſum, reflexum, in perfectis vicino anfractui incumbit & foramen centri, ſive axis tegit, uti in pluribus aliis ſpeciebus, in junioribus vero axis perforatus eſt, hinc quibus *Linnæus* umbilicum invenit, juniores fuere.

α tota extus citrina absque ulla macula, intus alba. β ſulphurea intus alba ſtriga obliqua ſanguinea in duobus majoribus anfractibus, altera in dorſo, altera juxta ſinum aperturæ aliisque dilutioribus verſus marginem. γ extus ſulphurea anfractu majori ex viridi, fulvido, rufo & albo variegato, ſtrigis obliquis ſaturatioribus, vel faſcia media flava diſtincto, ſecundo & tertio plerumque faſcia rufa notato; intus purpurea. In ε major anfractus graminei coloris ſtriga & margine flavo pingitur; reliqui flavi faſcia rufa. In δ major anfractus rubet ſtriga & margine, uti reliquum, albis. η candida, anfractu majori ex cæruleo, albo & rufo variegato, reliquis cinctis faſcia rufa, in ſecunda ab apertura anfractu interrupta. Striga in α & β ſaturate fuſca labro extrorſum coadunata, qualis in β H. *dextræ.*

Hujus varietas videtur Buccinum *Knorrii* Conch. 1. t. 16. f. 5.

Helices hæ dextrorſæ & ſiniſtrorſæ tantopere ſibi ſimiles, varietatesque colore tantum differentes, an veræ ſpecies, an meræ varietates

varietates extricent, quibus loca earundem natalia viſere contingat; ſententiam meam paucis dixi pag. 45.

Qualem jam varietatem H. *pomatiæ* in H. *pomaria* ſiniſtrorſam ſingulariſſimam notavimus, talem hic H. *dextræ* β in Helice *ſiniſtra* β benevolentia amiciſ. *Spengleri* deprehendimus; utraque enim varietas eadem videtur, ſtriga ſaturatiori in penultimo anfractu dilutiorique in *dextra* deficiente, quod quidem nullam differentiam arguit.

α, β, γ & η in Muſeo *Spengleriano*; ε & δ in *Thottiano*.

289. HELIX RECTA.

HELIX teſta conica, ſubacuminata, albida, ſtrigis & faſcia rufis, labro reflexo.

Dan. DEN STRIBEDE REKTS-SNEKKE.

long. 2 unc. 5 lin. lat. 1 unc. 2 lin.

Facies, ſtructura, color, ſtrigæ & faſcia Helicis *inverſæ*, at dextrorſa eſt. Apex acuminatus, non acutus, ſtrigæ pauciores. Anfractus ſeptem dextrorſi.

In Muſeo.

290. HELIX INVERSA.

HELIX teſta conico-acuminata, ſiniſtrorſa, albida, ſtrigis & faſcia rufis, labro reflexo.

GEVE. *Muſ.* t. 10.

Dan. DEN STRIBEDE LINKS - SNEKKE.

Angl. INVERTED WILK SNAIL.

long. 2 unc. 4 lin. lat. 1 unc. 1 lin.

Aliquantum major H. *dextra*, cum qua figura & ſtatura convenit, colore vero ſpirarumque circumactione diverſa eſt. Apex teſtæ acutus eſt. *Anfractus* octo, ſiniſtrorſi ſtrigis rufis, obliquæ ſecundum longitudinem ductis; faſcia lata pallide rufa juxta baſin. Apertura ovata, alba; labrum candidum, reflexum; labium incumbens concolor, anfractus aperturam penetrans fuſcus.

In Muſeo *Spengleriano.*

Figuræ teſtarum in Muſeo Regalis Societatis contrarie ſculptæ ſunt.

291. HELIX INTERRUPTA.

HELIX teſta conico-acuminata, alba, ſtrigis fulvis, labro albo, reflexo.

Dan. STRIME - SNEKKEN.

long. 22 lin. lat. 8 lin.

Maxime refert H. *dextram*, longior vero, acuminatior, minus ventricoſa & diverſicolor eſt. *Anfractus* ſeptem, lineis transverſis quindecim ſuperne fulvis, inferne rufis, medio obſoletis, ſurſum curvatis in ultima ſpira, in reliquis maximam partem obliteratæ ſunt.

In Muſeo *Spengleriano.*

292. HE-

292. HELIX CONTRARIA.

HELIX teſta conico-acuminata, ſiniſtrorſa, alba, ſtrigis undulatis fuſcis, interruptis, labro reflexo.

TURBO ovatus, contrario ductus gyratus. SCHWAMMERD. B. N. tab. 7. f. 11.

Dan. DEN BÖLGEDE LINKS SNEKKE.

long. 15 lin. lat. 8 lin.

Teſta alba, nitida, tenuior minorque H. *inverſa*; anfractus ſex ſiniſtrorſi ſtrigis transverſis fuſcis, ſubundulatis, faſcia ſpirali duplici, alba, inferiore altera latiore, interruptis. Apex ſummus niger. Apertura ovata alba ſtrigis pellucentibus; paries oppoſitus luteſcens. Labrum reflexum, candidum. Axis perforatus adjacente fimbria labri lata, qua demum claudi videtur.

Tenuitas teſtæ fluviatilem ſuſpicari permittit, labrum vero ſplendidum terreſtrem probat. Figuræ *Schwam.* perperam dextrorſa eſt.

In Muſeo *Spengleriano*, rariſſima.

293. HELIX LÆVA.

HELIX teſta ſubcylindracea, glabra, ſiniſtrorſa, faſciata, labro ſubreflexo; columella flava.

Dan. DEN SNOREDE LINKS-SNEKKE.

α *alba, faſciis ſex rufo-fuſcis.*

long. 12 lin. lat. 6 lin.

β *alba*

β alba, faſciis duabus rufo-fuſcis.

Buccinum ſubflavum, ſuperiore orbis primi parte faſciatum & deinceps variegatum. List. *Syn.* t. 33. f. 31.

long. 16 lin. lat. 7 lin.

Teſta candida in majori ſpira extus parum luteſcit, intus in ipſa columella lutea. *Anfractus* in α quinque, in β ſex a dextra in ſiniſtram circumacti. *Apertura* alba faſciis non ab extus pellucentibus, ſed ipſi aperturæ inſcriptis, & ab intus extrorſum transparentibus, quod huic ſpeciei præ omnibus peculiare eſt. Paries anfractus aperturæ oppoſitus, ſeu columella lutea; Labrum ſubreflexum, candidum, pone labium interius in extremitate axis foraminulum.

Figura *Gualt.* M. t. 4. noſtra eſſet, niſi obſtaret circumactio dextrorſa, quod ob futuram in ſiniſtrorſarum naturam inquiſitionem notari meretur.

In Muſeo *Spengleriano*; rariſſima.

294. HELIX labiosa.

Helix teſta oblonga, polita candida, apertura edentula, labro dilatato.

Turbo terreſtris lævis, valde umbilicatus, margine acuto. Gualt. *teſt.* t. 4. f. R?

Dan. læbe-snekken.

long. 11, lat. $3\frac{1}{2}$ lin.

Teſta elongata glabra, politiſſima candida, diaphana. *Anfractus* octo, læves; maximus reliquis omnibus ſimul ſumtis brevior.

Apertura

Apertura ovata, absque dentibus; dextro vero latere in fauce prominet tuberculum, quod a fovea eo loco impreſſa, quo umbilicus eſſe ſolet, efficitur. *Labrum* dilatatum, planum, nitidum, margine ſublacero.

Dens medio aperturæ in figura *Gualtieri* in noſtro deeſt.

In India.

295. HELIX PUDICA.

HELIX teſta oblonga, ruguloſa, roſacea, apertura edentula; labro dilatato, candido.

Dan. JOMFRUE-SNEKKEN.

long. 20 lin. lat. 9 lin.

Teſta ovato-acuminata, nitida ex candido & roſeo mixta, rugulis minutiſſimis ubique veſtita. *Anfractus* vix ſex, extimus quivis vicino & reliquis ſimul ſumtis major. Faux alba; apertura ovato-oblonga; labrum adnatum roſeo flaveſcens. Centrum axis ſub labro perforatum.

In Muſeo *Spengleriano*.

296. HELIX SUCCINEA.

HELIX teſta oblonga, fulva, diaphana, anfractibus tribus, apertura ovata.

HELIX teſta imperforata, ovata, obtuſa, flava; apertura ovata. LIN. *Syſt.* 705.

Buccinum ſubflavum, pellucidum, trium ſpirarum. List. *an. angl.* p. 140. t. 2. f. 24.

Buccinum ſubflavum, pellucidum, trium orbium. List. *Synopſ.* t. 12. 3. f. 23. optima.

Buccinum fluviatile ſubflavum, pellucidum, trium ſpirarum, tenuiſſimum, ore magno ovali elongato, mucrone vero breviſſimo. Gualt. *teſt.* t. 5. f. H.

Turbo fluviatilis minor oblongus, mucrone non nihil recurvo. Schlotterb. *act. Helv.* vol. 5. t. 3. f. 22. minus juſta.

Turbo Neritoſtoma Vetula. Klein. *Oſtroc.* t 3. f. 70.

Cochlea figuræ ovalis. Swammerd. *Bibl. Nat.* p. 67. t. 8. f. 4.

Cochlea teſta membranacea, ſubflava, oblonga, mucrone obtuſo, anfractibus tribus. Geofr. *teſt.* 22.

Argenville *Conchyl.* 1. t. 27. f. ult. n. 6. & t. 28. f. 23.

Berl. Magaz. 4. B. p. 361. t. 11. f. 60. 3. B. p. 147. t. 5. f. 66. 6.

Schröter *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 128. B. 4. 5. t. 1. f. 2.

Chiocciola ventricoſa minore; Ginan. *op. poſt.* Tom. 2. p. 48. b. c. t. 1. f. 3. 4.

Dan. RAV-SNEKKEN.

Germ. DIE BEYDLEBIGE; AGTSTEINFERBIGE SCHNECKE; KAHN-SCHNECKE.

Gall. L'AMPHIBIE; L'AMBREE.

long. 1 - 8 lin. lat. $\frac{1}{4}$ - $3\frac{1}{2}$ lin.

Teſta

Teſta oblonga, pellucidiſſima, membranacea, limace foeta, nigra eſt, vacua vero colore ſuccini flava, tenerrima, fragiliſſima, pluma levior; ſtriis intus & extus confertis, levitate tamen & transparentia vix Planorbem *Bullam* & Buccinum *gelatinoſum* ſuperat. *Anfractus* tres, quaſi contorti; apicis minimus, obtuſiuſculus, baſeos maximus elongatus. *Apertura* ovata absque omni labro.

Limax nigerrimus, groſſus, torpidus, viſco obductus; corpus, quod totum vix teſta occupat, extra eandem prominet.

Autores hanc cognomine *amphibium* dixere, minus vero accurate; maximam enim vitæ partem in ſicco vivit, & in aqua non perire pluribus commune eſt, varietatemque Hel. *nemoralis* in rivo plures dies degere vidi. Sponte in aquam deſcendere nunquam vidi, e contra quoties eum aquæ immiſi, confeſtim egrediebatur. Caracteribus quoque terreſtrium non dubiis, licet omnes (clariſ. *Schröter* excepto) eum fluviatilibus annumeraverunt, inſtruitur; tentacula quatuor diſtincta (*Liſter* ei duo perperam tribuit) ac oculos apice majorum habet, aperturamque teſtæ ſpuma membranacea claudit. *Putris* dicitur, quia limo obducta, quod pluribus commune eſt, interdum reperietur, ſæpius tamen teſta lævis eſt, verme etiam foeta, nitida, pura.

Genitalia latere dextro ſita ſunt; medio Auguſti in copula deprehendi.

Nomen apud *Gualtierum* huic quadrat, ac figura qualiscunque, neutrum vero Buccino *Liſteri.* t. 2. f. 25. quod quærit *Gualtieri*; hoc enim ſiniſtrorſum eſt, & noſter Pl. *Bulla.*

In plantis aquaticis & iis, quæ in ripis aquarum & foſſarum creſcunt, ubique obvius. Nec tantum ad aquas (in ipſa aqua ego nullum reperi) ſed in arbuſtis montanis uti ad diverſorium *Fortunen* juxta vivarium regium, ab omni aqua procul diſſitis, ſtirpibus, quibuscunque magna abundantia inhærere vidi, majores quidem ſodalibus ad aquas degentibus.

* * * * * conicæ.

297. HELIX ACUTA.

HELIX teſta conico-acuminata, alba, faſcia rubra; apertura edentula.

TURBO terreſtris a dextera in ſiniſtram convolutus, linea rubra in ſpirarum commiſſuris & faſcia latiori in anfractuum medio pictus. GUALT. t. 4. f. N.

BUCCINUM exiguum, faſciatum & radiatum. LIST. *Syn.* t. 19. f. 14.

Dan. SPIDS-SNEKKEN.

long. 4 lin. lat. 1½ lin.

Teſta alba; faſcia latiuſcula rubens juxta junĉturam anfractuum, ac in medio majoris; hæ faſciæ vel integræ vel interruptæ ſunt. Anfractus ſeptem. *Apertura* ovata absque labro & dentibus; faſciæ in apertura pellucent. Variat faſciis duabus in majori anfractu.

In Italia. *Ferd. Baſſi* miſit.

298. HELIX PAPILLA.

HELIX teſta conica, perforata, ſtriis rugoſis; apertura transverſali; labro reflexo.

Dan. VORTE-SNEKKEN.

diam. 10½ lin.

Teſta ſtriis rugoſis, albis & fuſco-rufis inſignita, glabra apice obtuſo, ſupra convexa, in nodum conicum elevata, ſubtus planiuſcula. *Anfractus* convexi, ſat parum prominentes, fere ſex.

Apertura

Apertura transverſa, horizontalis, ovata, labro albo, craſſo, reflexo. *Foramen* centri fere prorſus ab adjacente labri parte tegitur.

In Muſeo *Spengleriano*.

299. HELIX MINUTA.

HELIX teſta ſubcylindrica, apertura ovali edentula.

Dan. GRYN-SNEKKEN.

long. $\frac{1}{2}$ - $\frac{2}{3}$. lat. $\frac{1}{4}$ lin.

Teſta facie & ſtructura ab H. *muſcorum* diverſa, alba enim, brevior triploque anguſtior & acuminata eſt. *Anfractus* quinque in juncturis coarctati, ſeu dorſo prominentes. *Apertura* ovalis absque ullo dente, anfractui vicino oblique impoſito.

In Saxonia Weimarienſi. Clariſ. *Schröter* miſit.

300. HELIX DETRITA.

HELIX teſta conica, alba, lineis transverſis rufis, apertura ovata.

BUCCINUM fluviatile candidum, ex rufo undatim depictum, ſex ſpirarum. GUALT. *teſt.* t. 5. f. N.

TURBO ericetorum. LESSER. *teſt.* p. 224.

Berl. Magaz. 3. B. p. 128. t. 5. f. 53.

Schröter *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* 1, 2, 3. p. 27. t. 1. f. 1.

Dan. DEN SLIDTE SNEKKE.

long. $8\frac{5}{12}$. lat. $3\frac{5}{12}$ lin.

Teſta conica, glabra, polita, alba, ſtrigis obſoletis, in quibusdam ſpeciminibus oblitteratis. *Anfractus* ſex minus prominentes. *Apertura* ovata; *Labrum* ad columellam aliquantum reflexum, pone rimula, ſeu foramen ovale.

In Italia & in Saxonia.

301. HELIX VENTRICOSA.

Helix teſta conica, pallida, ſtriata, apertura edentula.

Schröter *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 141, 12. t. 1. f. 8.

Dan. PYRAMIDE-SNEKKEN.

Germ. DIE PYRAMIDEN SCHNECKE.

long. 2 lin. lat. 1 lin.

Ab H. *Trocho* differt, quod ſit ventricoſior, albida, oculo armato argute ſtriata, quod ſeptem habeat anfractus, quatuorque ultimi latitudine quam minime differant, nec baſi impoſita perſiſtat.

In Saxonia, rara. Clariſ. *Schröter* miſit.

302. HELIX

302. HELIX OBSCURA.

HELIX teſta conica, fuſca, apertura edentula, labro albo.

BUCCINUM rupium majuſculum, circiter ſenis orbibus circumvolutum. LIST. *an. augl.* t. 2. f. 8. minus bona.

COCHLEA teſta fulva, obſcura, acuta, ſpiris ſex. GEOFR. *teſt.* 15.

ARGENV. *Conchyl.* 1. t. 28. f. 15. minus bona.

Dan. BYGKORNS-SNEKKEN.

Germ. DAS GERSTENKORN.

Gall. LE GRAIN D'ORGE.

long. 3 - 4 lin. lat. 1¾ lin.

Teſta ovato-oblonga, obſcura, fuſco-caſtanea acuminata; impura (omnes enim, quas inveni, terra obductæ erant) oculo armato tenuiſſime ſtriatæ. *Apertura* ovalis margine acuto, *labro* in adultis intra marginem candido, nitido, absque omni dente. *Anfractus* ſex. *Limax* albus, ſupra obſcurus, oculis ſolis nigris.

Aquæ immerſus non perit, ſed ripam petit.

Figuræ autorum minus bonæ, præſertim Gallici, cujus nec deſcriptio ſatis convenit. Melius quadraret definitio fig. 17. at ipſa figura repugnat.

In Truncis fagi.

303. HELIX

303. HELIX LUBRICA.

HELIX teſta conica, fulva, nitida, pellucida, acuta; apertura edentula, labro rubente.

COCHLEA teſta fulva, nitida, acuta, ſpiris quinque. GEOFR. *teſt.* 17.

BUCCINUM exiguum, quinque anfractuum, mucrone acuto. LIST. *an. angl.* p. 122. t. 2. f. 7. minus bona.

Berl. Magaz. 3. B. p. 137. t. 5. f. 59. a. b.

SCHRÖTER *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 141. n. 13. t. 1. f. 9.

Dan. GLANDS-SNEKKEN.

Germ. DIE GLÄNZENDE SPITZ-SCHNECKE.

Gall. LA BRILLANTE.

long. $2\frac{1}{2}$ lin. lat. 1 lin.

Teſta ovato-oblonga, fulvo-flaveſcens; glaberrima, pellucida, nitidiſſima absque omni ſtria, apice ſubacuta. *Anfractus* quinque, ut plurimum ſex. *Apertura* ovata, margine obtuſo ac labro minus evidente, roſaceo; hoc in adultis; in junioribus enim, quarum plurimas vix unius lineæ ac trium ſpirarum teneo, margo acutus eſt, &, uti in cæteris cochleis, absque labro.

Teſta candida, nitida, at fragiliſſima, qualem Cl. *Schröter* reperit, mihi quoque obvia fuit, ac eandem ſpeciem deperditam judicavi.

Limax ſupra niger, ſubtus albus; aquis immerſus non perit, licet Clariſ. Geofroi contrarium affirmat. Primo quidem experimento limacem periiſſe ſuſpicabar; corpus enim extra teſtam quaſi exanimatum tentaculis in ipſo corpore conditis hærebat, dum mihi ſimul in mentem venit effatum nominati autoris de Cochlea

ſua

ſua VIII, *eam nempe in aqua perire, atque hoc modo necari & e teſta elici*, brevi tamen ſeſe vivum circumvagando probavit. Cogebam enim in interiora teſtæ ſe recipere, ac teſtam aquæ reddidi, confeſtim egrediebatur, & fato tranquillus, poſt intervallum trium horarum ripæ tandem appulit, ac ſicco gaviſus, tentacula promſit, & pro more inceſſit.

Cochleam *aciculam* Geofroi ob maximam anfractus extimi protenſionem, ſtructuramque aperturæ cum clariſ. *Schröter* potius fluvialem quam terreſtrem ſuſpicor.

Buccinum Liſt. angl. t. 2. f. 11. ab hoc diverſum eſt.

In Muſcis ac in trabibus & palis putreſcentibus humidis.

* * * * * * cylindraceæ.

304. HELIX MUSCORUM.

HELIX teſta cylindracea, obtuſa; apertura edentula, orbiculata, labro albo.

BUCCINUM exiguum, ſubflavum, mucrone obtuſo, ſive cylindraceum. LIST. *an. angl.* t. 2. f. 6.

TURBO teſta ovata, obtuſa, pellucida, anfractibus ſenis, ſecundis, apertura edentula. LIN. *Syſt.* 651. Iter. Oeland. p. 99.

TURBO teſta turrita, cylindrica: anfractibus ſecundis, apertura rotunda. STRÖM. *act. Nidroſ.* vol. 3. t. 1. f. 7.

COCHLEA teſta ſubcylindracea, obtuſa, labro albo reflexo, ſpiris ſex. GEOFR. *teſt.* 20.

Berl. Mag. 3. B. p. 141. t. 5. f. 63.

SCHRÖTER *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 140, 11. p. 438. *

Dan. BIMPEL- SNEKKEN.

Germ. DAS KLEINE FÄSCHEN, ODER BIENEN KÖRBCHEN.

Gall. LE PETIT BARILLET.

long. 1 lin. lat. $\frac{1}{2}$ lin.

Magnitudo ejus jam feminis *ſecalis*, jam *Tritici* apud Linnæum dicitur, noſtræ & autorum vix *Secalis*. *Spiræ* in Linnæano 4, 5, 6 & 7, in autorum & noſtro perfectæ ætatis conſtanter ſex.

Teſta cylindracea, brunnea, cornea, albida, vix pellucida, abſque ſtriis, vertice obtuſo. *Anfractus* ſex obvoluti, dorſo vix prominentes; horum quatuor inferiores fere æquales, quintus & ſextus ſenſim minores. *Apertura* lunata, ſeu (ſi partem anfractus aperturæ oppoſitam excipias) circinnata, nullo modo ovato-acuminata, uti in Linnæano, hinc illuſtris autor forte aliam vidit, quod tamen Synonyma negant. *Labrum* candidum, ſat parum reflexum.

Exiguitas hujus Cochleæ verum aſſiduitatis Conchyliologorum documentum.

Deſcriptio T. *cylindrici* Clariſ. *Ström* huic omnino convenit, menſura excepta.

Exemplar, quod dono illuſtris *Geofroi* poſſideo, in apertura tuberculum ſeu denticulum exhibet, cæterum idem.

In Muſcis & ruderatis. Clariſ. *Martini* & *Schröter* miſere.

305. HELIX TRIDENS.

HELIX teſta cylindracea, albida; apertura tridentata.

TURBO terreſtris rufeſcens, ventricoſus, ore denticulato, a ſiniſtra in dextram convolutus, intra ſex ſpiras finitus. GUALT. *teſt.* t. 4. f. F.

Dan.

Dan. DEN TREKANTEDE SNEKKE.

long. $4\frac{1}{2}$ lin. lat. $1\frac{2}{3}$ lin.

Teſta glabra, albida, minutiſſime ſtriata, ſubcylindracea, vertice ſubacuto. *Anfractus*, ſi probe inſpiciantur, ſeptem a ſiniſtra in dextram convoluti. *Apertura* arcuata, dentibus tribus in triangulum diſpoſitis, lateribus nempe & in baſi ſeu in anfractu vicino; quædam ſpecimina præter tres dictas dentes quartum angulo gerunt in ipſo aperturæ. *Labrum* album ſubreflexum.

In Italia. Clariſ. *Ferd. Baſſi* miſit.

306. HELIX QUADRIDENS.

HELIX teſta ſiniſtrorſa cylindrica, flavicante; apertura quadridentata.

BUCCINUM exiguum album, cylindraceum, ſeptem orbium. LIST. *Synopſ.* t. 40. f. 38.

COCHLEA teſta ſubcylindracea, obtuſa, labro albo reflexo, ore quadridentato, ſpiris octo ſiniſtrorſis. GEOFR. *teſt.* 24.

Dan. DEN TANDEDE LINKS-SNEKKE.

Gall. L'ANTI-BARILLET.

long. 5 lin. lat. $1\frac{1}{2}$ lin.

Teſta flavo-brunnea, glabra, cylindrica. *Anfractus* novem a dextra in ſiniſtram convoluti. *Apertura* arcuata, anguſtior quam in præcedente; dentes quatuor albi; duo nempe in latere aperturæ dextro, unus in latere ſiniſtro, & quartus ſurſum in medio anfractus vicini. *Labrum* ſubreflexum, candidum.

In Italia.

307. HELIX sulcata.

Helix teſta cylindracea, obtuſa, oblique ſulcata, alba, apertura ſubquadrata, labro reflexo.

Dan. den furede snekke.

long. 12 lin. lat. 7 lin.

Teſta parum pellucida, alba, immaculata, ſubventricoſa. *Anfractus* octo oblique ſulcati, ſtriis eminentibus, aperturæ proximi remotis vix longiores; apex obtuſus tribus anfractibus componitur. *Apertura* perpendicularis non horizontalis, latere extimo aliquantum curvato; *Labrum* undique reflexum adnatum; pone labium ſiniſtrum in axi rima arcuata.

Cochlea *Liſteri.* Synopſ. t. 588. f. 47. noſtra eſſet, niſi dentata diceretur.

In Muſeo *Spengleriano.*

308. HELIX fusus.

Helix teſta cylindracea, obtuſa, recte ſulcata, alba, apertura dentata, anfractibus novem.

Bonan. *rier.* p. 202. t. 140.

Dan. teen-snekken.

Gall. enfant au maillot.

long. 9 lin. lat. 4 lin.

Teſta fuſiformis, i. e. extremitate utraque amplitudine decreſcente, candida, glabra, profunde ſulcata, ſtriis eminentibus, non uti in præcedente obliquis, ſed fere perpendicularibus, rectis.

Anfractus

Anfractus novem. *Apertura* lunata. *Labrum* reflexum, pone labium ſiniſtrum rima obliqua; in parte anfractus aperturæ oppoſita; dens in faucem deſcendens.

In Muſeis paſſim.

309. HELIX FUSULUS.

HELIX teſta cylindracea, obtuſa, curvatim ſulcata, apertura edentula, anfractibus undecim.

Dan. VINDE- PIND - SNEKKEN.

long. $7\frac{1}{2}$ lin. lat. 3 lin.

A præcedenti, quam prima facie crederes, differt, quod ſit minor, plures anfractus habeat, dente in parte aperturæ oppoſita careat, ſtriæque ſulcorum ſubarcuatæ ſint.

In Muſeo *Suhmiano*.

310. HELIX AURIS JUDÆ.

HELIX teſta cylindrica, ſubgranulata, apertura lanceolata; labro ad axin tridentato.

BUCCINUM quatuor orbium valde craſſum & ponderoſum, duobus dentibus ad columellam, ore admodum longo & anguſto. LIST. *Syn.* t. 32. f. 30.

VOLUTA teſta coarctata oblonga, ſpira lævi, columella tridentata. LIN. *Syſt.* 393. MUS L. U. 590.

Oſtracologia jam æque ac Botanica ſua gaudet Judæ auricula, licet de aure Judæ nihil perhibeatur, veroſimile eſt, vulgum pro Mida Judam corrupte dixiſſe.

Auris Midæ, fuſca vel alba, ſtriata, tridentata. Martin. *Conchyl.* 2. vol. t. 44. f. 449 - 451.

Dan. judas öret.

long. 2 unc. lat. 8 lin.

Helici *auris Midæ* quidem affinis eſt, notis tamen ſpeciei conſtituendæ ſufficientibus in ore tridentato anfractuque ab apice quarto, duplo vel triplo latiori, quam in H. *auris Midæ* non deſtituitur.

Teſta cylindrica, craſſa, aluminis inſtar pellucida, nigricans, detrita vero, alba, granulis, uti auris Midæ obſita, facile tamen obliterantur. Anfractus quinque, margine ſublaceri, extimus elongatus a vicino notabiliter declinat, hinc ſpatia reliquorum anfractuum conſpicua, non uti in illa ſubæqualia, nec reliqui in trochum acutum, ſed in conum decreſcunt. *Apertura* & labrum album, interius columellæ impoſitum, ſolito craſſius, plicis duabus eodem ſitu, quo in ſequente, adjecta tertia in medio columellæ. Suturæ & coſtæ in hoc nullum veſtigium.

Figuræ Clariſ. *Martini* non exacte noſtram ſiſtunt, admodum ſimiles H. *aur. Midæ*, ut dentem teſtium ſi excipias, juniores crederem; noſtra apprime cylindrica eſt, labium parieti aperturæ oppoſito adjacens, craſſum, album, in angulum aperturæ productum. Figura *Liſteri*, licet minor, apprime convenit; dens extimus cæteris minor, certo ſitu facile inconſpicuus.

In Muſeo *Spengleriano*.

311. HELIX auris midæ.

Helix teſta fuſiformi, granulata, apertura lanceolata, labro ad axin bidentato.

Voluta teſta coarctata ovali-oblonga, ſpira rugoſa, columella bidentata. Lin. *Syſt.* 392. Bulla; Mus. L. U. 589.

Cylinder

Cylinder lutarius; auris Midæ. Rumph. Mus. t. 33. f. H. H. minus bona.

Strombus integer ore fimbriato, lævis, ex candido fubroſeo colore conſpicuus, ſed in extremitatibus aliquando ex livido albicans. Gualt. *teſt.* t. 55. f. G.

Buccinum auritum fuſcum; Mus. Richt. p. 322.

Auris Midæ ore dentato incarnata, in ventre rugoſa, in mucrone ex faſciis adſtrictis turbinata, livida & granulata. Klein. *oſtrac.* §. 96. t. 7. f. 122.

Auris Midæ bidentata, fuſca, clavicula, granulata. Martini *Conchyl.* t. 43. f. 436-438.

Argenv. *Conchyl.* 1. t. 10. f. G.

Seb. *theſ.* 3. t. 71. f. 6. 21. 22.

Petiv. *aquat. amb.* t. 8. f. 2.

Bon. Mus. *Kirch. claſ.* 3. f. 412.

Dan. midas-öret.

Germ. midas-ohr; schlam-rolle.

Gall. oreille de midas.

Angl. mydas-ear.

Belg. slyk-rolle.

long. 3 unc. 4 lin. lat. 1 unc. 4 lin.

Teſta ovato-acuminata, craſſa, medio dorſo elevato, extremitate utraque declinante, ſubtus præſertim anfractus major in verum planum declinatum excurrit; tota caſtanea ſeu fumigata, granis, ſeu tubereulis ubique tecta; hæc in ſuperna & inferna anfractuum parte ſplendida, in media obſoleta & abſterſa, (epidermide detracto ex candido ſubroſea, agathina; ſtrigis anguſtis undulatis juxta juncturam notata, qualem definit *Gualtieri.*) *Anfractus* octo, fere novem, inclinati, margine ſupremo ſeu quo vicini

vicini junguntur, lacero, extimus maximus elongatus reliqui in trochum decreſcentes. *Apertura* lanceolata. *Labrum* craſſum, glabrum, nitidum, ſubaurantium, exterius a medio ad axin usque incraſſatum, fere uti in H. *ovata*, ab interiore omnino diſtinctum excavatione intermedia; interius parieti oppoſito adnatum, medio in angulum acutum productum, plicis duabus elevatis acutis approximatis, altera in ipſo labio, altera minore ad axin.

In maximo anfractu coſta gibba cum adjacente ſutura, labro aperturæ ex oppoſito parallella; hanc labrum derelictum ſuſpicor, hoſpitemque hujus teſtæ, contra morem reliquorum antequam incrementum teſtæ abſolutum ſit, aperturam labro craſſo & dentibus repetitis vicibus veſtire, quemadmodum in *dolobrata* jam obſervavimus.

Figura *Liſt.* Syn. t. 23. f. 21., quam aurem Midæ putat Clariſ. *Chemnitz*, diverſa ſpecies eſt, & quidem *Helix* noſtra *oblonga*.

Inhabitantem nemo deſcripſit, e ſtructura vero & craſſitie teſtæ, cum marina non ſit, terreſtrem potius quam fluviatilem ſuſpicari licet.

Cochlea hæc eo, quod oris apertura aſininam aurem refert, auricula Midæ dicitur & rara exiſtimatur; illuſtris a *Linne* in ejus figura penem caninum vidit.

In paludoſis Indiæ.

312. HELIX AURIS MALCHI.

HELIX teſta fuſiformi, granulata, apertura ovata, axi exciſo, patentiſſimo.

Dan. MALCHUS-ÖRET.

long. 29 lin. lat. 13 lin.

Cochleam

Cochleam hanc prima facie juniorem H. *auris Midæ* crederes, at penitius inſpicienti diverſa probatur notis manifeſtis.

Teſta ovata, ſqualide fuſca (epidermide detracto, alba) granulis obtecta. *Anfractus* ſex medio convexi, coſtati, coſtæ ſive tubera elevata in extimo & in quibusdam quoque in penextimo margine, ſupremo ſublacero.

Apertura ovata candida. *Labrum* exterius craſſum, in quibusdam æquale, in aliis apice & baſi incraſſatum, medio, quo in præcedente in tuber incraſſatur, in hac anguſtius, interius membrana tenuiſſima Paries anfractus majoris aperturæ oppoſitus ſegmentum circuli quaſi arte adeo exciſus, ut omnium anfractuum interiora pateant, totaque cochleæ ſtructura ad ſummum verticem usque oculis ſiſtatur. Singulare hoc, ac in nulla alia teſta mihi unquam obvium, ſpira enim in apertura reliquarum teſtarum anfractus majoris parte operitur, ipſique anfractus in plerisque circa axin ſolidum vel canaliculatum rotantur; in hac vero nec axis ullus nec ſpiræ ſuperne tectæ, nec veſtigium ullius operculi, ſed tota introrſum patula. Limax dehinc, quem cognoſcere intererit, minus bene, quam congeneres, latere videtur.

In Muſeo *Spengleriano.*

* * * * * * * turritæ.

313. HELIX SCALARIS.

HELIX teſta conico-turrita, imperforata, anfractibus remotis, apertura ovata.

Dan. VINDEL-TRAPPE-SNEKKEN.

Teſta colore & ſubſtantia H. *Pomatiæ*, figura vero a congeneribus ſplendide diſtincta, pallide rufeſcens, oblique ſtriata, faſciis duabus albidis, altera medium circumvolutionum percurrente, altera inferiore. *Anfractus* quinque ventricoſi, juncturis axi ſolitò

proprioribus faciem cochleæ ſingularem præbent. *Apertura* absque labro, hieme operculo calcareo, quale in *Pomatia*, clauditur. Foramen labio adjacente obtectum eſt. Vertex obtuſus.

Figura *Argenv.* conchyl. par. 2. t. 9. f. 8. p. 82. Berl. Mag. 2. B. p. 605. t. 1. f. 5. noſtram refert, at anfractus major adeo a vicino disjunctus, ut ſpatium intercedat, maculæque nigræ, ut tentacula, oculos & operculum Cochleæ fluviatilis taceam, a noſtra, quæ terreſtris eſt, diverſam arguunt.

In Muſeo *Chemnitziano.*

314. HELIX DECOLLATA.

HELIX teſta turrita, alba, vertice truncato; apertura edentula.

HELIX teſta imperforata turrita: ſpira mutilato-truncata; apertura obovata. LIN. *Syſt.* 695. Mus. L. U. 671.

TURBO terreſtris candidus, aliquando cinereus, mucrone truncato. GUALT. t. 4. f. O, P, Q.

BUCCINUM album, clavicula productiore, fere abrupta. LIST. *Syn.* t. 17. f. 12.

BUCCINUM album, pellucidum, decem orbium, orbis primi medio leviter acuto, orbe ultimo obtuſo & proxime ſuperiore paulo majore. LIST. *Syn.* t. 18. f. 13.

TURBINE *maggiore.* GIN. *op. poſt.* Tom. 2. p. 59. t. 3. n. 22.

PETIV. *gazophyl.* t. 66. f. 1.

Dan. DEN KOLLEDE SNEKKE.

long. 6-15½ lin. lat. 2½-4 lin.

Teſta

Teſta oblonga, turrita, glabra, nitens, ſubſtriata, albida, apice ſingulariter diffracta. *Anfractus* in adultis quatuor, quinque vel ſex, in junioribus quinque vel ſeptem. *Apertura* obovata, margine in adultis craſſiore ſublabiato; in pariete oppoſito loco labri linea elevata, obliqua, candida.

Teſtæ *Indicæ* pellucidæ, colore & transparentia aluminis, linea labri elevata deſtituuntur.

Figuræ *Gualtieri* O, P, Q meræ ætatis differentiæ ſunt.

Singularis quidem eſt fractura apicis in hac teſta, juniori & adulta, frequenter obvia, quam *non caſu ſed lege naturali ſemper fieri & apice tamen clauſo* arguit Ill. *Linne*, nos contra accuratiori teſtæ inſpectione convicti ſumus, detruncationem hanc eſſe accidentalem, teſtamque primum exiſtere integram, deinde, dum limax ſibi novos & majores anfractus format, veteres & minores ſenſim exſiccеſcere, ac diffringi, lacunamque nova materia calcarea expleri, at non in totum, ratione quidem ignota, quam inquirant obſervatores *Itali*. Fractura enim non in omnibus perfecte eadem, nec numerus anfractuum neque in junioribus neque in adultis conſtans. Apex quidem clauſus eſt, & hoc argumento nituntur Conchyliologi, qui cum *Linnæo* ſentiunt, at cum in adultis, qui paucioribus anfractibus inſtruuntur & junioribus, qui pluribus, æque clauſus ſit; ſequitur majores perdidiſſe plures anfractus, quam minores, & limacem poſt quamvis fracturam apicem nova materia claudere; ſi enim teſtam frangas, excavatio in anfractibus ſolita prorſus vacua reperitur, aperturaque anfractus ampla conſpicitur; contra in fractura teſtæ accidentali anfractus materia teſtacea ſpiraliter torta repletus eſt, aperturaque anfractus minima, oculo armato videnda. Ex ſpeciminibus ætate majoribus & minoribus induco, limacem ſibi formare anfractus duodecim & ultra, antequam ad perfectam ætatem perveniat, & teſtam adultam, ſi unquam inveniretur integra, duodecim & plures habituram anfractus. Nec huic ſpeciei proprium eſt, apice truncari, individua enim H. *perverſæ* & *bidentis* reperi apice diffracta, at anfractum mutilatum vacuum; hæ, uti ipſa *decollata*, centrum apicis truncati foraminulo minimo pervium habent, id eſt axin perforatum, quod,

ſi nihil aliud argumentum adeſſet, ſufficienter fracturam accidentalem probaret.

Juniores teſtæ, limace emortuo, plures reperiuntur, quarum anfractus major medio inſtruitur margine acuto; hic margo tantum veſtigium, ſive reliquiæ proxime inferioris diffracti anfractus eſt. Hinc & ob ſimilitudinem cum junioribus hujus ſpeciei vix dubitarem Buccino 13. *Liſteri* huc locum aſſignare.

In Italia & India.

315. HELIX BIDENS.

HELIX teſta turrita, fuſca, glabra, ſiniſtrorſa, apertura canaliculata.

BUCCINUM exiguum, pullum duodecim orbium. LIST. *Synopſ.* t. 41. f. A.

TURBO terreſtris rufeſcens, ore denticulato, a dextra in ſiniſtram convolutus. GUALT. *teſt.* t. 4. f. C.

TURBO teſta turrita, pellucida, anfractibus contrarius, ſutura ſubcrenata, apertura poſtice bidentata. LIN. *Syſt.* 649.

TURBO teſta turrita pellucida: anfractibus contrariis apertura bidentata, margine reflexo. STRÖM *act. nidroſ.* vol. 3. p. 436. t. 6.

TURBO teſta turrita pellucida: anfractibus contrariis, apertura edentula. l. c. p. 437.

ARGENVILLE *Conchyl.* t. 28. f. 20.

SCHRÖTER *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 136. A. B. t. 1. f. 4. a & fig. 5.

Dan.

Dan. DEN GLATTE LINKS-SNEKKE.

Germ. DIE GLATTE ERD-SCHRAUBE.

long. 8 - 9 lin. lat. 1½ lin.

Teſta fuſco-brunnea, cylindrica, acuminata, lævis, abſque omni ſtria diſtincta, vel oculo conſpicua. A prima ætate unius lineæ magnitudine ad perfectam 9 linearum conſtanter glabra, plerumque pellucida, interdum fuſco-aurantia. *Anfractus* a dextra in ſiniſtram, in omnibus adultis undecim, ultra quinquaginta enim examini ſubjeci. *Apertura* ad figuram ovalem accedit. *Labrum* candidum reflexum. *Faux* ſtructuræ ſingularis, antice in pariete oppoſito plicæ duæ elevatæ, canalem quodammodo formantes, acutæ, margine albo; *ſiniſtra* in aperturæ ſiniſtro latere ſurſum tendit, adjacente poſtice alia, apertura integra, inviſibilis, utraque in imum faucis ſpiraliter deſcendit; *dextra* in media fauce terminatur; juxta hanc in ipſiſſima fauce alia plica deſcendens absque teſtæ laceratione inconſpicua. In imo anguli ſiniſtri proſpicitur *officulus* ſupra emarginatus candidiſſimus, hic, ſi teſta caute frangitur, conſpicitur eſſe lamella oblonga ſubarcuata, politiſſima, erecta, elaſtica, angulo altero inferiori inſiſtens margine plicæ ſiniſtræ; ſupra hanc lamellam alia *linea* elevata, ipſi teſtæ adnata, & in latere dextro linea concentrica impreſſa.

Structuram adeo complicatam *Limax* domunculæ ſuæ coronidis loco imponit, dum ultimum anfractum format, in omnibus enim anterioribus hujus apparatus ne minimum quidem veſtigium. Attendi meretur, quod apertura in quovis anteriorum anfractuum larga, aperta & libera ſit, & quod in ultimo adeo arcte quaſi munimentis obſtruatur, ut vix ſpatium exeundi limaci relinqui videatur, at huic neceſſitati cautum eſt, elaſticitate lamellæ, quæ preſſa a corpore exeuntis vel intrantis vermis plicæ oppoſitæ arcte adprimitur, ac libera reſilit. Hoc apparatu abſoluto limax ultimo marginem aperturæ acutum in labrum album extendere aggreditur; poſthac Veneri & Cereri otioſus vivit.

Menſe Septembri in copula deprehendi latere ſiniſtro junctos, utrumque teſta glabra inſtructum; *glabrum* cum *ſtriato* ſeu H. *perverſam* & *bidentem* in copula nunquam offendi, licet eisdem locis degant.

Varietatem raram reperi anfractibus minoribus maculis parvis luteſcentibus notatis.

In truncis arborum cavis & alibi vulgaris.

316. HELIX PERVERSA.

HELIX teſta turrita, fuſca, ſtriata, ſiniſtrorſa; apertura canaliculata.

BUCCINUM pullum opacum, ore compreſſo, circiter denis ſpiris faſtigiatum. LIST. *an. angl.* p. 123. t. 10. f. 10. mala.

BUCCINUM exiguum pullum duodecim orbium. LIST. *Synopſ.* t. 41. f. 39.

TURBO teſta turrita pellucida, anfractibus contrariis, apertura edentula. LIN. *Syſt.* 650.

COCHLEA teſta fuſca, opaca, apertura compreſſa, labro albo reflexo, ſpiris decem ſiniſtrorſis. GEOFR. *teſt.* 23.

TURBO terreſtris parvus, pallide fuſcus, tres unciæ partes circiter longus, in plures ſpiras convolutus ſtriatas, deſinentes in mucronem acutiſſimum & limacem continens ex fuſco nigricantem, bicornem. SCHLOTTERB. *act. Helv.* vol. 5. t. 3. f. 17, 18. optima.

ARGENV. *Conchyl.* 1. t. 28. f. 19, 11. t. 9. f. 14.

Berl. Mag. 3. B. p. 133 - 36. t. 5. f. 56.

SCHRÖTER

Schröter *Erdkonchylien um Thangelſtedt.* p. 139, 9. f. 4, 6.

Dan. DEN KRUSEDE LINKS-SNEKKE.

Germ. DIE UNVERGLEICHLICHE; DIE GESTRICKTE ERDSCHRAUBE.

Gall. LA NON PAREILLE.

long. adult. 3-5-8 lin. lat. 1 lin.

Teſta fuſco-brunnea, cylindrica, acuminata, ſtriata; *ſtriæ* hæ elevatæ, teretes, longitudinales, ſimplices, (paucæ rariſſime furcatæ) æque diſtantes, numero 48 in ſingulo anfractu in pluribus, in aliis confertiſſimæ, minus elevatæ. *Anfractus* in perfectis novem, decem, undecim, rariſſime duodecim a dextra in ſiniſtram convoluti.

Apertura ſubrotunda ſiniſtrorſim aliquantum coarctata; *Labrum* ſubreflexum, candidum. *Faux* ſtructuræ H. *bidentis*; differt tantum, quod inter plicas anticas adſit alia plica elevata major, vel duæ minores, & lamella elaſtica non ſit emarginata ſed integerrima. Striæ in hoc conſtantes, uti lævitas in H. *bidente*; plures enim dimidiæ lineæ magnitudine ad quinque linearum examinatus ſum, quarum omnes anfractus, binis primis ſive minimis exceptis, ſtriati fuere.

Clariſ. *Martini Schlotterbechium* ſecutus, limacem, qui revera quadricornis eſt, bicornem dicit.

In deſcriptione hujus Cochleæ, licet vulgatiſſimæ, mire diſcrepant autores melioris notæ defectu examinis ſufficientis. Ut ab Ill. *Linnæo* incipiam, hic teſtam pellucidam, aperturam in Fn. Svec. 1. edit. ſubrotundam, in Faun. 2. ed. & in utraque Syſtematis edentulam pronunciat. Clariſ. *Geofroi*, *Martini*, *Liſter* opacam dicunt, ac Celeb. *Ström* definitione Linneana ſeductus præcedentis pullum *perverſam*, adultum vero novam ſpeciem ſub nomine *bidentatæ* finxit. Ratio discrepantiæ & hallucinationis eſt, 1, quod

1, quod de transparentia non convenitur; omnes fere cochleæ terreſtres & fluviatiles vel juniores lumini obverſæ transparent, at eæ tantum meo judicio *pellucidæ* dicendæ, quæ quovis ſitu lumen transmittunt, ac in majori pelluciditatis gradu *diaphanæ*; jam teſtæ hujus & præcedentis ſpecierum juſtum incrementum nondum adeptæ pellucent, qua nempe limace vacuæ ſunt, perfectæ vero minus. 2, quod juniores aperturam *edentulam* margine acuto tenerrimo habeant, adulti vero *dentatam* margine reflexo duriuſculo, albo. Hinc imperfectam teſtam quater deſcripſit *Linnæus*, perfectam *Liſter*, *Leſſer*, *Geofroi*, *Martini*, utramque *Ström.*

Differentiæ *perverſæ* & *bidentis* minutæ ſunt, & cum promiſcue cohabitant, tempus aliquando, ut ſuſpicor, unam ſpeciem eſſe docebit.

In muſcis, muros & truncos arborum veſtientibus cum præcedente in Dania vulgaris, in Norvegia rarior.

317. HELIX PAPILLARIS.

HELIX teſta turrita albida, ſiniſtrorſa, juncturis ſpirarum punctatis; apertura canaliculata.

TURBO terreſtris papillis albis in ſpirarum commiſſuris diſtinctus. GUALT. *teſt.* t. 4. f. D. & E.

GIN. *op. poſt.* Tom. 2. p. 59. t. 3. f. 23.

BUONANNI *ricreat.* p. 184. t. 41.

Dan. DEN VORTEDE LINKS - SNEKKE

Ital. TURBINE MINORE.

long. $5\frac{1}{2}$ lin. lat. 1 lin.

Proxime præcedentes refert.

Teſta glabra, oculo abſque ſtriis, cinerea; *Anfractus* novem; interſectiones anfractuum fuſceſcunt, punctis elevatis ſive papillis

papillis parvis candidis pulchre interſtinctæ. *Apertura & labrum* uti in præcedentibus. *Faux* cum H. *bidente* convenit, lamella vero elaſtica integra eſt, non emarginata, nec angulo inferiori plicæ inſidet, ſed baſi in ligamentum longum liberum circa axin deſcendens producta eſt; margo ejus dexter plicæ dextræ, quæ nihil aliud quam axis productio eſt, quaſi connatus adhærere videtur, ſiniſter vero parieti teſtæ tam prope admovetur, ut lamella hæc valvulæ inſtar oſtium ſive aperturam cochlearem arcte claudat. Hinc limax egrediendo non poteſt non adprimere ligamentum elaſticum axi teſtæ, quod, quo propius limax oſtio accedit, eo magis valvulam removet, ac portam aperit. Scalæ pellucidiſſimæ & hyalinæ ſunt.

Cæterum hæ tres ſpecies multum conveniunt, & in tanta earum copia ſatis ſingulare eſt, conchyliologos flexuræ in ſiniſtram partem obſtupuiſſe, & ob hanc rationem, falſam certe, nomine Punique (unicam) dixiſſe, ſtructuræ vero faucis vere admirabili ſuperſediſſe. *Tantum homini recta aberrare.*

In Italia.

318. HELIX DOLOBRATA.

HELIX teſta turrita, perforata, polita, axi contorto-triplicato; apertura dentata.

TURBO teſta umbilicata, turrita, glabra, columella exſerta recurvato-contorta plicata. LIN. *Syſt.* 601. Mus. L. U. 651.

ARGENVIL. *Conchyl.* 1. t. 11. f. L.

Dan. HÖVEL-SNEKKEN.

long. 7-14 lin. lat. 3-5 lin.

α *candida, absque faſciis.*

Hæc maxima undecim orbibus circumvoluta.

β *candida, faſciis duabus.*

γ *candida, faſciis tribus.*

Anfractus ſex.

δ *candida, faſciis quatuor.*

Buccinum dentatum, læve, tenue, faſciis anguſtis ſubrufis depictum. List. *Syn.* t. 844. f. 72.

Petiv. *gaz.* t. 118. f. 15.

Faſcia quarta, ſeu junctura proxima dupla.

Anfractus ſeptem.

ε *candida, faſciis quinque.*

Anfractus ſeptem.

Teſta dura, pellucida, politiſſima, lævis, conica apice ſubulata, candidiſſima, immaculata, vel faſciis linearibus cincta. *Anfractus* dorſo planiuſculi numero variant. *Apertura* ſubovata; *Labrum* exterius dentibus ſex ſeriatim notatum; interius in anfractum aperturæ oppoſitum reflexum, tortuoſum plicis tribus elevatis *Axis* perforatus, non umbilicatus. Huic proprium eſt, cum reliquæ omnes, quotquot noverim, incrementum teſtæ appoſitione dentium in ore abſolvant, dentes in quovis anfractu ſæpius formare, conſtructiones enim dentium reiteratas duodecim in uno individuo numeravi, & in majori anfractu quatuor, hinc in quovis quater Limacem dentationem formare, ſuſpicari licet.

In Muſeis paſſim.

319. HELIX

319. HELIX TEREBELLA.

HELIX teſta turrita, acutiſſima, perforata, polita, edentula, axi contorto-triplicato.

TURBO terreſtris umbilicatus, baſi lata, ore ſulcato, candidus, lineis fulvis circumdatus. GUALT. *conchyl.* t. 4. f. M.

Dan. NAVRE-SNEKKEN.

long. 14 lin. lat. 3½ lin.

Teſta pellucida, nitida, lævis, ſubulata, apice acutiſſimo, candida, quinque faſciis linearibus rufis cincta, in maximo nempe anfractu faſcia juxta axin fulva, dein duæ rufæ, mox quarta pallide fulva, & denique quinta rufa, in reliquis duæ tantum conſpicuæ, quarta nempe plerumque obſoleta, & quinta diſtincta, tertia adjacentis anfractus ſuturam utriusque adimplet, ita ut ſuturæ in hac Helice difficulter diſtinguantur. *Anfractus* ſedecim. *Apertura* obovata; margo exterior in noſtra absque labro; in perfecta quoque absque dentibus, uti in Figura *Gualtieri* videre eſt. *Axis* perforatus eſt, plicisque tribus parvis, qua aperturam ſpectat, notatur. Faſciæ lineares in fauce ſplendidiores, quam extus.

Hæc & præcedens an *Helices*, an *terreſtres*, quod autores volunt, tempus docebit.

In Muſeo *Spengleriano*, rara.

Tanto Natura in un ſembiante ſteſſo
Di varie forme ha i ſimolacri impreſſo.

XXIV. VERTIGO.

Vermis cochleatus, tentaculis duobus linearibus, apice oculatis.

320. VERTIGO PUSILLA.

Dan. SAND - KORN - SNEKKEN.

long. 1. lat. $\frac{1}{4}$ lin.

Teſta cylindracea, *Carychio* prima facie haud abſimilis, at ventricoſior, ſiniſtrorſa, tota obſcure fulva &c.

Anfractus quatuor vel quinque teretes, glabri. *Apertura* ſubquadrata, margine ſummo albo, arcuato, ad anfractum oppoſitum transverſo. *Dentes* in ore aperturæ ſex minimi albi cum rudimento ſeptimi, tres nempe in externo aperturæ, tres in anfractu vicino.

Limax ſupra cæruleſcens, ſubtus albus, pellucidus. Rependo teſtam medio dorſi perpendiculariter elevatam portat. Omni opera & quidem microſcopii ope tria ſpecimina examini ſubjeci, ac in iis duo tantum tentacula eo loco, quo majora *Helicis* conſpiciuntur, detegere licuit; hæc corporis dimidia longitudine apice punctum nigrum ſplendidum præferunt. Minorum ne rudimentum quidem, at loco eorum utrinque lineola nigra lenti difficillime conſpicua.

In truncis putridis, rara.

XXV.

XXV. CARYCHIUM.

Vermis cochleatus, tentaculis duobus truncatis, oculis ad baſin poſtice.

321. CARYCHIUM MINIMUM.

Dan. SOEL- GRAN- SNEKKEN.

long. $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$. lat. $\frac{1}{8}$ lin.

Teſta diaphana, glabra, dextrorſa, ſub-conica, limace foeta flava, apice alba, vacua tota alba. *Anfractus* quinque teretes. *Apertura* ovata, intus denticulis duobus minimis a latere ſiniſtro limacis notata, a latere dextro rudimentum tertii in nonnullis conſpicitur. Denticuli certo teſtæ ſitu ope lenticulæ viſibiles.

Beſtiola ægre elicitur; ſtructura domunculæ, limacem quadricornem crederes, at inſpectio diverſum probat. *Tentacula* duo parva bulbiformia, absque puncto, ſeu oculo apicis nigro; hic vero poſtice baſi tentaculorum inquirendus.

Cochlea omnium minima; plurium diverſo tempore repertarum nulla menſuram excedit.

In aſſeribus humidis & foliis putreſcentibus faginis haud infrequens.

XXVI. BUCCINUM.

Vermis cochleatus, tentaculis duobus triangularibus, oculis ad baſin interne.

322. BUCCINUM AURICULA.

BUCCINUM teſta ampullacea, cornea, mucrone acuto brevi; apertura ampliſſima.

BUCCINUM pellucidum, ſubflavum, quatuor ſpirarum, mucrone acutiſſimo, teſtæ apertura omnium maxima. LIST. *an. angl.* p. 139. t. 2. f. 23.

BUCCINUM fluviatile pellucidum, ſubflavum, quatuor ſpirarum, mucrone acuto, teſtæ apertura patentiſſima. LIST. *exerc. anat. de Bucc.* p. 54. t. 2. f. 3. 4.

BUCCINUM ſubflavum, pellucidum, quatuor orbium, ore ampliſſimo, mucrone acuto. LIST. *Synopſ.* t. 123. f. 22.

BUCCINUM fluviatile, ſubflavum, pellucidum, ore ad plauſum aperto trium ſpirarum. GUALT. *teſt.* t. 5. f. F.

BUCCINUM fluviatile pellucidum, ſubflavum, mucrone acutiſſimo & brevi; prima ſpira inſigniter ventricoſa, teſtæ apertura omnium maxima. GUALT. *teſt.* t. 5. f. G.

BUCCINUM teſta diaphana, mucrone acuto, breviſſimo, apertura ampliſſima, anfractibus quatuor. GEOFR. *teſt.* 3.

TURBO

Turbo fluviatilis ventricoſus, non nihil globoſus, mucrone breviſſimo & acutiſſimo. Schlott. *act. helv.* vol. 5. t. 3. f. 27. 28.

Helix teſta imperforata, ovata, obtuſa, ſpira acuta breviſſima, apertura ampliata. Lin. *Syſt.* 708.

Argenville *Conchyl.* 1. t. 27. n. 7. f. 1 - 4. t. 28. f. 22.

Berl. Magaz. 4. B. p. 356 - 60. t. 11. f. 59. 3. B. t. 5. f. 66. a a.

Schröter *Erdkonchyl.* p. 131. 6. t. 1. f. 3.

Hofman. *act. Mogunt.* vol. 2. p. 1 - 15.

Bon. Mus. *Kirch. teſt. & recreat.* Cl. 3. f. 54.

Chiocciola ventricoſa di clavicola breve. Ginan. *op. poſt.* Tom. 2. t. 1. f. 3. palud.

Dan. RADIIS - HORNET; ÖRE - HORNET.

Germ. DIE WURTZEL; DAS BÄUCHIGE SPITZ - HORN; DIE OHR - SCHNECKE.

Gall. LE RADIX; LE BUCCIN VENTRU; LA CONQUE SPHERIQUE.

long. 2 - 12 lin. lat. 1¼ - 9 lin.

Teſta ventricoſa, nitida, pellucida, in majoribus ampullacea, limace foeta maculis nigris & aureis ex ſubjacente pellicula pellucentibus quaſi marmorata (hoc pariter in pellucidis Buc. *ſtagnalis*) vacua, immaculata, cornei coloris intus & extus. *Linnæus* in Fauna ſua teſtam interne *omnino niveam* vult, at hoc de exemplaribus aëri & ſoli expoſitis tantum valet, quæ pariter externe albæ evadunt. *Anfractus* tres, quatuor, raro quinque. *Infimus* maximus, ampliſſimus, minutiſſime ſtriatus, qua mucronem ſpectat, vel in angulum rectum vel in obtuſum elevatus, reliqui minimi quaſi anfractui majori inſerti; apex acutiſſimus. *Apertura* ovata,

in

in majoribus dilatata; *labium* reflexum, in majoribus foramen ſive rimulam in ipſo centro format.

Varietatem fulvam inveni, ſtriis ſubelevatis pallidis.

Licet ſynonymon ab ipſo *Gualtieri* f. F. tabulæ quintæ ex *Liſtero* allatum, noſtram Helic. *Succineam* indicaret ac deſcriptio haud male conveniat, ex inſpectione tamen patet, figuram juniorem Buc. *Auricul.* offerre.

Limax albus punctis parvis cinereis; teſtam fractam, uti terreſtres, reſtituit. *Oculi* nigri, uti in omnibus mihi notis limacibus, non albicantes.

A Junio in Octobrem usque in aqua puriſſima quidem & nunquam renovata absque omni nutrimento viſibili vixit; nihil enim nec animale nec vegetabile aquæ inerat; nihilominus non modo vitam ſuſtinebat, ſed nutriebatur quoque, quod excrementis limacum ſolitis fundum vaſis vitrei copioſe tegentibus manifeſtum erat. Aqua tantum minus pellucida facta, albedinem quandam contraxerat. Ut ſcirem quo medio vitam ſuſtentarat, & quæ materia tantum excrementorum produxerat guttulas aquæ microſcopio ſubjeci. Aqua myriadibus granulorum opacorum, qualia in polline fungorum, at his minora, videntur, ſaturata erat; aquam animalculis quoque infuſoriis ſcatere putaverim, at ne aucta quidem magnitudo ullum, ſi illud infuſoriorum minimum, quod Cyclidium *Bullam* dixi, in hac aqua rariſſimum, exceperis, proſpicere permiſit. Hinc Limaci *Auricula* ſola hæc granula, quæ vel ſemina *mucorum & conſervarum* vel *Monades* infuſoriæ ſunt, atque omni aquæ communes per tantum temporis intervallum nutrimentum præbuerunt.

In actis *Mogunt.* & in exerc. anat. Bucc. *Liſteri* p. 55. quidem dicitur in terram victus quærendi cauſa exſpatiari, ac in opere cl. *Argenville* p. 330. t. 27. inter fluviatilia numeratus, mox p. 340. t. 28. nomine *terreſtris* ſaluratur; mihi vero, plures licet menſes in vaſculo aqua repleto ſervaverim, nullus exire tentavit. Numne autores Buccinum hoc cum Helice *ſuccinea*, quam

quam Bucc. *auricula* juniori ætate valde refert, confudere? Argenville hoc feciſſe probant figuræ & deſcriptio p. 340. t. 28. f. 23. quæ ſunt H *ſuccineæ*, quas tamen B. *auriculas* prædicat. Quænam ſit figura 6. t. 8 part. 2. difficulter extricatur, tantis contrariis laborat & figura & deſcriptio p. 75. Apertura teſtæ, tentacula, ſitus oculorum ipſaque denominatio B *auriculam* volunt, anfractus ſuperiores vero & operculum *Neritem* revocant. Autorem hic hallucinatum eſſe nullus dubito.

In lacubus vulgare.

323. BUCCINUM GLUTINOSUM.

BUCCINUM teſta ventricoſa, diaphana, mucrone obtuſo; apertura ampla.

Dan. SLIIM- HORNET.

long. 1½ - 4. lat. 1 - 3 lin.

Teſta tenerrima, fragiliſſima, flava, Planorbem *Bullam* haud parum referens, at ampliata & dextrorſa. *Anfractus* duo vel tres; extimus maximus, apicis obtuſi minimi. *Apertura* repanda, rotundata.

Limax lubricus, viſcidus, albus, punctis ſparſis cinereis. Teſtam totam pallio gelatinoſo tegit, & hoc velo ab omni injuria tutus, curioſis, dum *globulum* viſcidum mentitur, huc usque impoſuiſſe videtur. Aqua extractus pallium ad marginem undique demittit, ac diſcum teſtæ nudum nitidum & perquam ſiccum monſtrat.

In foliis Nymphææ, imprimis *luteæ*, haud frequens.

324. BUCCINUM PEREGRUM.

BUCCINUM teſta cornea, ſubconica, mucrone acuto, apertura ovata.

BUCCINUM fluviatile, teſta fragili, pellucida, albida, prima ſpira admodum elongata & ventricoſa. GUALT. *teſt.* t. 5. f. e e.

Dan. VANDRINGS-HORNET.

long. 2 - 8 lin. lat. 1 - 5 lin.

Variat albida, pellucida, & atra, opaca.

Media inter B. *auriculam* & *paluſtrem*, varietatemque prioris diu credidi, at anfractibus non ſenſim verſus junCturas decreſcentibus, ſed ſubabruptis, magisque elongatis, figuraque non ventricoſa ab illa, ſubconica non cylindracea, a *paluſtri* differre videtur.

Buccinum hoc, uti H. *ſuccinea*, vere amphibium eſt; tempore enim brumali truncis & ramis *Tiliarum* ultra centum paſſus ab omni aqua remotarum plurima inhærentia reperi. Limacem non vidi.

Varietatem atram reverendiſ. *Schröter* miſit.

In paludoſo ochraceo horti *Fridrichsbergenſis* limo obductum.

325. BUCCINUM TRUNCATULUM.

BUCCINUM teſta ovato-oblonga, anfractibus detruncatis, apertura ovata.

Dan. STUMP-HORNET.

long. $1\frac{1}{3}$ - 5 lin. lat. $\frac{2}{3}$ - 3 lin.

Teſta

Teſta fuſco-nigra vel atra ſubpellucida. *Anfractus* quinque, quilibet, qua majorem ſpectat, declinatus, qua minorem truncatus eſt, quo caractere a reliquis europæis differt. *Apertura* ovata; *Labium* incumbens ſqualidum; pone rimula ſubjacet.

In agro *Thangelſtedtienſi* Saxoniæ. Reverendiſ. *Schröter* invenit & dedit.

326. BUCCINUM PALUSTRE.

Buccinum teſta oblonga, acuminata, fuſca; apertura ovata.

Buccinum minus fuſcum, ſex ſpirarum, ore anguſtiore. List. *an. angl.* t. 2. f. 22.

Buccinum fluviatile oblongum; ore anguſto, fuſcum, ſex ſpirarum. Gualt. *teſt.* t. 5. f. E.

Buccinum teſta oblonga, fuſca, anfractibus quinque. Geofr. teſt. 2.

Berl. Magaz. 4. B. p. 289. t. 9. f. 37.

Ginanni, *op. poſtum.* Tom. 2. p. 48. t. 1. fig. 2. palud.

Dan. DET LILLE SPIDS-HORN.

Germ. DAS KLEINE SPITZ-HORN.

Clariſſ. *Geofroi* quidem putat, *Linnæum*, qui hoc Buccinum varietatem ſequentis minus bene dicit, numero anfractuum ſenario, quem *Liſter* huic tribuit, ſeductum fuiſſe, atque ſimul judicat, B. paluſtre *nunquam numerum ſpirarum quinarium excedere*, at *Liſter* & *Gualtieri* optime viderunt, & hanc cochleam clare deſignavere. Autor vero Gallicus minores tantum vidit, quarum tres lineas longæ jam anfractibus quinque, maximæ vero ſex inſtruuntur.

Gall. LE PETIT BUCCIN.

long. 2 - 9 lin. lat. 1 - 4 lin.

Hoc manifeſte a ſequente diverſum eſt, teſta a prima ætate obſcure fuſca, minus fragili, nec ſubulato apice, nec ventricoſa baſi; armato oculo ſtriis ſubtiliſſimis transverſis & ſpiralibus confertis inſignita. Caracterem alium in apertura adultorum ſplendidum exhiber faſcia unica vel duplex ſaturate ſanguinea, extus aliquantum conſpicua; hæc ex ſucco vermis purpureo. *Anfractus* in minoribus quinque, in majoribus ſex. *Apertura* ovata; *Labium* reflexum, album.

Juniores nuper ovis excluſi vix ¦ lineæ longi anfractus duos, continent; tentacula in his et microſcopii ope ægre diſtinguuntur; oculi vero valde conſpicui. Anfractus maximus variat rugis circularibus.

Limax cinereus punctis parvis albidis; aqua interdum egreditur & brevi revertitur.

Unum reperi pullos in ſuperficie teſtæ geſtantem.

In paludoſis frequens.

327. BUCCINUM STAGNALE.

BUCCINUM teſta oblonga, ſubulata, ventricoſa; apertura ovato-repanda.

BUCCINUM longum ſex ſpirarum, omnium & maximum & productius, ſubflavum, pellucidum, in tenue acumen ex ampliſſima baſi mucronatum. LIST. *an. angl.* t. 2. f. 21. p. 137. & 138.

BUCCINUM

Linnæus Turbinem Baſteri *ſubſec.* 2. t. 7. f. 4. Helicem *ſtagnalem* incaute dicit, nomine quod jam olim diverſæ Helici finxerat, quod

Buccinum ſubflavum, pellucidum, ſex orbium, clavicula admodum tenui productiore. List. *Synopſ.* t. 123. f. 21.

Buccinum fluviatile ſex ſpirarum ſubflavum, pellucidum, in tenue acumen ex ampliſſima baſi productum. List. *exerc. anat.* t. 2. f. 3 - 4.

Buccinum fluviatile, teſta tenuiſſima & fragiliſſima, prima ſpira notabiliter ventricoſa & elongata in mucronem acutum ſtatim deſinens, ſubflavum, pellucidum. Gualt. teſt. t. 5. f. J.

Buccinum fluviatile majus, labio interno repando. Gualt. *teſt.* t. 5. f. L.

Buccinum teſta oblonga fuſca, anfractibus ſenis. Geoff. *teſt.* 1.

Turbo fluviatilis major, corpore oblongo, ampullaceo, deſinente in mucronem acutiſſimum & limacem continente fuſcum. Schlotterb. *act. Helv.* vol. 5. t. 3. f. 25. 26.

Helix teſta imperforata, ovato - ſubulata, ſubangulata, apertura ovata. Lin. *Syſt.* 703.

Helix teſta imperforata, ovato - ſubulata, tereti, pellucida, apertura ovato - oblonga. Lin. *Syſt.* 704.

Auricula ſubflava, pellucida in tenue acumen ex ampliſſima baſi mucronata. Klein. *oſtroc.* p. 54. t. 3. f. 69.

quod Conchyliologi adoptaverunt, & ipſe ſequenti pagina alteri Helici tribuere pergit. Hic attentionis defectus aliquoties in ſyſtemate occurrit. Nomina trivialia ſemel recepta, non niſi valida cauſa, mutanda ſunt, multo minus eadem diverſis ejusdem generis ſpeciebus tribuenda, utilitas eorundem alias perditur, ac non minorem confuſionem, quam vernacula plantarum nomina, pariunt.

Auricula ſtagnorum nitide atra. Klein. *oſtroc.* p. 55.

Cochlea teſta producta acuminata, atra. *Act. upſ.* p. 41. n. 22. 1736.

Frisch *von Inſecten.* 8ter th. t. 7.

Seb. *theſ.* 3. t. 39. f. 41 - 46. & f. 52, 53.

Berl. Magaz. 4. B. p. 282 - 89. t. 9. f. 33. A, B. f. 35 & 36.

Swammerd. *Bibl. Nat.* p. 9. f. 4.

Hanovs *Seltenh.* 1. B. f. 574. t. 1. f. 5.

Argenville *Conchyl.* 1. t. 27. n. 6. f. 1 & 2. par. 2. t. 8. f. 5.

Bon. Mus. *Kirch. teſt. & ricreat.* Cl. 3. f. 55.

Ginanni *op. poſt.* Tom. 2. p. 45. t. 1. f. A. B. C. paludoſ.

Lesser. *Teſtac.* p. 88. n. 11.

Dan. DET STORE SPIDS-HORN.

Germ. DAS GROSSE SPITZ-HORN.

Gall. LE GRAN BUCCIN.

long. 2 - 22 lin. lat. 1 - 10 lin.

Teſta vulgatiſſima colore & transparentia magnopere variat; cornea, alba flavicans, fulva, fuſca, nigra, obſcura, nitida, pura impura, opaca, pellucida, diaphana, per longitudinem ſtriata, ſtriga lata longitudinali alba præſente, vel abſente. *Anfractus* in adultis ſex & ſeptem, infimus ventricoſus, repandus, ſuperficie glabra, rugoſa vel variolata, tereti, vel angulata, reliqui in acumen ſubulatiſſimum decreſcentes. *Apertura* ovata, ampliata margine exteriori acuto, intus in paucis cingulo diſtincto fuſco. *Axis* ſinuatus albus, ad apicem patulus.

Limax

Limax ſupinus ad ſuperficiem aquæ quieſcere amat, ac quoties ſubſidere vult, corpus intra teſtam, ſonitu preſſione aëris elabentis facto, reducit. Primo vere plures copula concatenatos, uti Cl. *Geofroi* narrat, vidi. Caput quibusdam amputavi, reproductionem tentans, at brevi periere.

Helix *fragilis* LINNÆI vix niſi ætate differt, nec ab autore ulla ei nota tribuitur, quæ non in totum junioribus *ſtagnalis* conveniret; nec nimis accurate quod de H. *ſtagnali* in Fn. Sv. pronunciatur (nam cum hac eam comparari voluit, non cum nemorali, hallucinatione enim *præcedens* loco *ſequentis* ſcribitur) *ſolida & dura vix digitis comminuenda.* Adde, quod inter centenas juniores diverſæ ætatis nullam unquam inveni angulatam, e contra plures majorum totas teretes ac in adultis ultimus tantum anfractus, & quidem non in omnibus, ſubangulatus eſt.

Varietatem aliam & veram reperi, nudo oculo ſtrigis remotis flavicantibus, armato ſtriis ſubtiliſſimis ſpiralibus confertis inſignitam. *Atram* ſolo labio interiori nitido & albo liberalitati Clariſſ. *Schröter* debeo.

In ſtagnis, foſſis ac paludibus frequens.

328. BUCCINUM GLABRUM.

BUCCINUM teſta cylindracea, acuminata, cornea; apertura ovata.

Dan. GLAT-HORNET.

long. $4\frac{1}{2}$ lin. lat. $1\frac{1}{2}$ lin.

Helicem *lubricam* refert, at longius, obſcurum & aquaticum.

Teſta cylindracea, pellucida, luteo-fuſca, anfractibus ſat parum decreſcentibus, apex tamen acutus eſt. Anfractus fere

octo

octo teretes, aperturæ proximus cingulo retiformi nigro transparenti ornatus. *Apertura* obovata.

Limax niger, tentacula albida.

In pratis humidis, ubi aquæ vere ſtagnant, rarum.

329. BUCCINUM SCABRUM.

Buccinum teſta acuminata, cinerea, transverſim ſtriata, anfractibus muricato-dentatis; ſtrigisque ſanguineis.

Dan. KNORT-HORNET.

long. $5\frac{1}{2}$-$8\frac{1}{2}$ lin. lat. 2-$3\frac{1}{2}$ lin.

Teſta ovato-acuminata, albida, pellucida, ſtriis convexis ſpiralibus, ſtrigisque undulatis, ſanguineis per longitudinem ductis inſignita, ſæpe cinereo fuſca, ſqualida, ſtrigis ſanguineis obliteratis, in fauce tantum pellucentibus.

Anfractus ſeptem vel octo, ſtrigis tuberculoſis, ſurſum mucronatis. Harum duodecim in ſingulo anfractu, in majori minus acutæ, ſæpeque obſoletæ, in minoribus totum anfractum occupantes. *Apertura* ovata; *Labrum* exterius acutum, interius in axi glabrum, fuſcum, nitidum. *Faux* pallida, ſtrigis ſanguineis, punctatis pellucentibus.

In paludoſis littoris *Coromandel* Tranquebari Danorum maxime vulgare; centena & ultra benevolentia D. *Spengler* vidi.

330. BUCCI-

330. BUCCINUM AMARULA.

BUCCINUM teſta ſubovata, nigra, anfractibus ſurſum muricatis.

BUCCINUM fluviatile, prima ſpira ſatis elongata, mucrone aculeis coronato, ore lato integro, repando, coſtisque ſtriatis eminentibus exaſperatum, colore pullo nigricans GUALT. *teſt.* t. 6. f. B.

BUCCINUM aculeatum. LIST. *Syn. Mantiſ.* t. 1055.

COCHLEA ſubruſa, muricata. LIST. *Syn.* t. 133. f. 33.

VOLUTA fluviatilis. RUMPH. *Muſ. Conchyl.* t. 23 f. F. F.

HELIX teſta imperforata, oblonga, anfractibus ſpinoſodentatis. LIN. *Syſt.* 702. MUS. L. U. 672.

PSEUDO-STROMBUS tenuis ſubcinereus, ſpiris ventricoſis, coronæ inſtar per plicas muricatis. KLEIN. *oſtrac.* p. 36. ſp. 13.

ARGENVIL. *Conchyl.* 1. t. 27. f. 6.

SEB. *theſ.* 3. t. 53. f. 24. 25.

Berl. Magaz. 4. B. p. 291. t. 9. f. 38.

PETIV. *gaz. amboin.* t. 4. f. 3.

Amboin. LA HOLUM; PAPEYTIE.

Dan. PAVE-KRONEN.

Germ. FLUSS-WALZE; RIVIER-PABST-KRONE.

Belg. RIVIER PAUZE KROON.

Angl. RIVER-MITER-SHELL.

Gall. LA TIARE FLUVIATILE.

long. 9-19 lin. lat. $4\frac{1}{2}$-9 lin.

Teſta in majoribus ovato-oblonga, in minoribus ovata, nigra, ſtriis ſubconvexis ſpiralibus, immaculata. *Anfractus* quinque vel ſex, ſpinis decem in ſingulo ſurſum porrectis, ſuperiorem anfractuum partem occupantibus; ſpinæ non obtuſæ, ſed acutæ, facile vero teruntur & franguntur. *Apertura* ampla, hians, alba; *Labium* exterius acutum, interius craſſum.

Magnitudine valde variat, ut videre eſt ex adjecta menſura, hinc *Gualtieri* figuram, vel hujus varietatem, vel valde affinem, licet meis exemplaribus ventricoſior ſit, ac clavículam breviorem habeat, puto.

Species hæc an ad *Buccina* referenda, non conſtat, cum nullus autorum limacem deſcripſerit.

In Indiæ Orientalis fluviis.

331. BUCCINUM ZEBRA.

Buccinum teſta ovato-acuminata, faſciis longitudinalibus fuſcis, axi inflexo, integro.

Buccinum radiatum, medio primo orbe leviter acutum. List. *Synop.* t. 11. f. 6.

Buccinum majus ſeptem ſpirarum ex rufo radiatum. List. *Syn.* t. 9. f. 4.

Buccinum an idem cum ſuperiore, at minus radiatum. List. *Syn.* t. 10. f. 5. & t. 580. f. 34.

Cochlea oblonga exotica lævis. Petiv. *gazophyl.* t. 44. f. 7.

Cochlea ſtrictior, latis faſciis rufeſcentibus per longum ductis diſtincta, columella alba. List. *Syn.* t. 578. f. 33.

Cochlea veſicaria fluviatilis, exotica elegantiſſima. Seb. *theſ.* 3. t. 39. f. 54, 55, 50, 51.

Tuba

Tuba phonurgica toroſa ex rufo radiata. Klein. *oſtrac.* p. 34. §. 89. 5.

Tuba phonurgica, ſpiris planis faſciata perlonga, lata, ex rubro faſciata, columella alba. Klein. *oſtrac.* p. 34. §. 90. e.

Dan. ZEBRA - HORNET.

long. 15 - 27 lin. lat. 10 - 12 lin.

Teſta ovata, ſubacuminata, glabra, candida, pellucida, faſciis longitudinalibus obſcure fuſcis, undulatis notata. *Anfractus* ſex, ſeptem vel octo. *Apertura* ovata, ſuperne largior, anfractusque major medio ſæpe ſubacutus, ventricoſior, quam in B. *achatino* & in H. *flammea*. *Faux* alba, faſciis pellucentibus; paries oppoſitus colore ſpadiceo nitidus. *Labrum* acutum, extus & intus margine fuſco diſtinctum. Axis albus in marginem aperturæ coalitus, ſeu integer, a perpendiculari extrorſum deflexus.

Figuræ *Liſteri* variam hujus teſtæ ætatem notare videntur; *Petiveri* vero juniorem ſatis accurate offert.

Sæpe variat faſciis duabus vel tribus anguſtis longitudinem percurrentibus; datur alia varietas minus ventricoſa, at valde elongata.

Ex labro fuſco, axique integro incrementum teſtæ abſolutum jure crederes, at huic proprium eſt, marginem aperturæ repetitis vicibus colore fuſco ſeu uſtulato imbuere, rurſusque incrementum continuare, aximque in junioribus æque ac in adultis margini coalitum ſeu integrum habere; hinc minores æque abſolutæ videntur ac majores & in unica teſta ſæpe veſtigia labii uſtulati quinquies reperiuntur.

Labium interius ſeu axis cum non reflexum ſit, licet revera tale quid in figuris *Liſteri* appareat, cæterum noſtro Buccino ſimillimis, noſtrum B. *Zebra* non poteſt eſſe varietatem H. *flammeæ*,

cui labrum interius reflexum eſt, axisque perpendiculariter erectus.

Figuræ apud *Sebam* noſtra minora optime exprimunt.

In Muſeo *Spengleriano*.

332. BUCCINUM ACHATINUM.

BUCCINUM teſta ovato-oblonga, faſciis longitudinalibus rufo-fuſcis; axi truncato canaliculato.

α *alba, axi apiceque ſanguineis.*

BUCCINUM exoticum variegatum lævius. Νηριτώδες *Fab. Colum.* de aquat. cap. 8. fig. bona.

BULLA teſta ovata, apertura obovata, apiceque ſanguineis, columella truncata. LIN. *Syſt.* 391. Muſ. L. U. 589.

URCEUS

In B 331, 332. & H. *flammea* determinandis ad nauſeam usque plures dies impendi ob confuſionem ortam ex ſynonymia autorum melioris notæ, absque prævia & ſufficienti indagatione teſtarum, figurarum & deſcriptionum nimis mancarum in lucem prolata. Nil enim facilius quam ſynonyma congerere, vera extricare creatis eorumque commentatoribus ſuum cuique tribuere difficillimum. Nimis indulgens *Linnæo* & *Adanſonio*, publicæ in teſtaceis fidei viris, conſilium & deſcriptiones ſæpius mutavi, congeſtis licet undique variis harum ſpecierum ſpeciminibus. Denique de hallucinationibus eorum convictus, judicia tantorum virorum rebus, non has illis, ſubjeci, ac ſecundum notas, quibus natura teſtacea ſpeciatim diſtinguere ſolet, ſpecies has diſtribui.

Linnæus Bullæ ſuæ *achatinæ*, quam marinam dicit, terreſtrem Adanſonii Kambeul (H. *flammeam*) ſubjicit, forma, ſtructura, locoque natali diverſam; nec *Periveri* figura *achatinæ* convenit. Clariſſ. *Adanſon* Buccinum *fluviatile Guale* t. 6. cum ſua Kambeul *terreſtri* confundit, quæque varietates dicit, ſi figuris allatis exacte reſpondent, non varietates ſed ſpecies a ſua diſtinctas cenſendas puto.

Urceus ore integro ſubrotundo ad dextram labiato. Klein. *oſtrac.* p. 47. t. 3. f. 60.

Cochlea ventricoſior, faſciis ex nigro purpuraſcentibus, ad tergum undatis, ipſa columella purpuraſcente. List. *Syn.* t. 579. f. 34.

Seb. *theſ.* 3. t. 71. f. 1. 2. 3.

Buonanni *ricr.* p. 214. f. 192.

long. 3 - 7 unc. lat. $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{3}{4}$ unc.

β *alba, apice flavo.*

Buccinum parvum integrum, ore obliquo, ventricoſum, ſtriatum ſtriis per longitudinem æqualiter percurrentibus albidum, fulvis & vinoſis maculis undatim depictum. Gualt. *teſt.* t. 45. f. B.

Buonan. *Muſ. Kirch, teſt.* cl. 3. f. 190. *ricreaz.* f. 192.

Argenvil. *Conchyl.* 1. t. 10. f. E.

Seb *theſ.* 3. t. 71. f. 7. 8. 9. 10.

Gothwald *Muſ.* tab. 1. cap. 10. n. 220.

long. 4 unc. lat. 2 unc.

γ *fulva, vel candida, axi ſanguineo.*

long. 4 unc. lat. 1 unc. 9 lin.

ε *alba, faſciis crebris, axi pallido.*

Argenvil. *Conchyl.* 1. app. t. 2. f. L.

Seb. *theſ.* 3. t. 71. f. 4. 5.

Axis e centro longitudinaliter productus, margine laterali tenui, qui, ſi inflectatur, canaliculum, ſi reflectatur, foramen format.

Dan. AGAT - HORNET.

Belg. FRANSCHE BELHORN.

long. 2 unc 11 lin. - 5 unc. - 5 unc. 11 lin.
lat. 1 unc. 5 lin. - 2 unc. 2 lin.

α & β absque dubio meræ varietates ſunt, γ ob rugulas in decorticatis teſtis quoque conſpicuis ambigua eſt, cum nullas varietates α & β epidermide veſtitas videre contigerit, ε poſteris forte diſtincta ſpecies erit. Omnes quidem axin truncatum habent, valde tamen ſuſpicor, eum in perfectis integrum evaſurum, hoc eſt cum margine aperturæ coaliturum eſſe. *Apertura* in omnibus ovata, ad axin ſinuata. *Anfractus* ſeptem in majoribus, in ε octo; apex anfractibus binis obtuſis; axis in canaliculum inflexus, in α & γ & in majoribus ε transverſim, in β & minoribus ε oblique truncatus.

Teſta in α & β, quæ decorticatæ & politæ in Muſeis reperiuntur, glabra, nitida candida, compacta, dura, longitudinaliter paſſim ſtriata, faſciisque longitudinalibus latis rufo - fuſcis plerumque undatis ſplendida; hæ in β nigro - cæruleo & fulvido fuſcæ ſunt. *Anfractus* apicis in α quinque roſacei, in β quatuor, flavi coloris. *Faux* alba, faſciæ in ea niſi lumini obvertatur, inconſpicuæ; *Labium* exterius acutum indiſtinctum, interius parieti anfractus aperturæ oppoſito & axi adnatum, in α totum ſanguineum, in β verſus angulum aperturæ acutum, fuſcum, verſus rectum ſeu in axi candidum.

Teſta in γ fulva (decorticata, candida) pellucida, ſubrubens, duriuſcula, pulcherrime longitudinaliter ſtriata; ſtriæ ſubtiliſſimæ confertæ creberrime interruptæ, ita ut ſeries lineolarum excavatarum transverſalium anfractus cingere videantur. Faſciæ latæ, undulatæ fuſcæ longitudinales. Faux cæruleſcens, faſciis pellucentibus. Solus axis ſanguineus. *Teſta* in ε alba vel albo flavicans, pellucida, tenerrima, ſtriis in ſpiris minoribus fere uti in γ interſtincta, in majori vero nullis; Faſciæ fuſcæ, anguſtæ, lineares, undulatæ,

undulatæ, crebræ, quadruplo plures, quam in præcedentibus. Faux uri in γ; axis vero cæruleſcente albus. Teſtæ hujus varietatis ætate majores faucem habent albam absque transparentia faſciarum, ac labio concolore craſſo ad axin inſtruuntur. *Gualtieri* optimam figuram variet. β 6½ unc. longam fiſtit, quam tamen, cur parvam dixit, ignoro.

Seba quidem varietatem α ſua natura expoliriſſimam dicit, arte tamen politam vix ullus dubitet.

α & β marinas, γ & ε fluviatiles ſuſpicor.

In Muſeis vulgare.

333. BUCCINUM VIRGINEUM.

BUCCINUM teſta conico-acuminata, glabra, faſciis anguſtis diverſicoloribus; apertura purpurea.

BUCCINUM dentatum læve, tenue, faſciis anguſtis ſubrufis depictum. LIST. *Syn.* t. 844. f. 72.

BUCCINUM parvum integrum, ore oblique umbilicatum, læve, albidum duabus lineis rufis circumdatum. GUALT. *teſt.* t. 45. f. D.

BUCCINUM paluſtre, arantium. SEB. *th.* 3. t. 40. f. 38.

BULLA teſta ſubturrita, erecta, columella truncata, ſanguinea. LIN. *Syſt.* 390.

PETIV. *gazophyl.* t. 22. f. 11.

Dan. JOMFRUE-HORNET.

Gall. LE RUBAN.

long. 18-22 lin. lat. 9-10 lin.

α *cæru-*

α cæruleſcens, faſciis quinque.

Buccinum ſeptem orbium, faſciis fere bicoloribus, interdum tricoloribus iridis inſtar pictum. List. *Syn.* t. 15. f. 10.

Pseudo-trochus. *Klein. oſtrac.* t. 7. f. 116.

Petiv. *gazophyl.* t. 151. f. 1.

Argenvil. *Conchyl.* t. 11. f. N.

Buonan. *ricreat.* p. 188. t. 66.

Faſcia prima (a baſi numerando) flavida, ſecunda nigra, tertia huic connata rufa, quarta nigra, quinta pallide ſulphurea.

β candida, faſciis octo.

Buccinum fluviatile, ſpiris non prominentibus oblongum, ore anguſtiore, læve candidum, faſciis aliquando piceis, aliquando rubris, plumbeis & luteis, iridis inſtar elegantiſſime faſciatum. Gualt. *teſt.* t. 6. f. A.

Faſcia infima nigra, ſecunda ei connata rubra, tertia nigra, quarta (in quibusdam connata, in aliis minus) rubra, quinta cærulea, ſexta nigra, ſeptima flava, octava cærulea.

γ candida, faſciis ſeptem.

Buccinum ab imo ad ſummum usque apicem verſicoloribus tæniolis, albis, nigris, rubris, luteis, cæruleis, viridibus faſciatum; oris, quod Arantii intus coloris eſt, limbi pertenues & acuminati. Seba. *Theſ.* 3. t. 40. f. 38.

Buonan. *ricr.* & Mus. *Kirch.* Cl. 3. f. 66.

Knorr. *Conchyl.* t. 30. f. 7.

Faſcia

Faſcia infima nigra, ſecunda huic connata, flava, tertia nigra, quarta huic adnata rubra, quinta viridis, ſexta nigra, ſeptima flava.

In quibusdam hujus varietatis individuis, quarta faſcia quintæ connata flava eſt, adjecta octava viridi.

Teſta conica, lævis, nitida, faſciis anguſtis diverſicoloribus apiceque roſaceo pulcherrima. *Anfractus* octo ſenſim decreſcentes, in quibusdam medio convexi, in aliis minime prominentes. Apertura inæqualiter ovata, intus purpurea, protuberantia parva, cujus extus nullum veſtigium, e regione axis notabilis. *Labium* exterius acutum, faſciis in ipſo margine pellucentibus; non vero in apertura, niſi lumini obvertatur, & hac conditione ægre quidem; interius inflexum ſanguineum; axis in junioribus truncatus. Licet omnia, quæ vidi, exemplaria axin truncatum habuerint, ex eo, quod ſupra de B. *achatino* dixi, patet, axin in adultis integrum evadere; quin etiam B. *faſciatum*, quod hujus varietatem ill. a *Linne* facit, notæ hujus ſpecificæ refragatur, dum axis in eo ſæpiſſime integer coalitus reperitur, ſeu labio in continuum.

In Indiis.

334. BUCCINUM FASCIATUM.

BUCCINUM teſta conico-acuminata, faſciis maculisque undulatis transverſis; apertura alba.

SEBA. *Theſ.* t. 39. f. 62. 74.

Dan. FLAG-HORNET.

Gall. PAVILLON D'HOLLANDE.

Belg. STAATEN-FLAGGE.

long. 24-27. lat. 11-12 lin.

α *alba, faſciis cæruleis.*

Cochlea veſicaria elegantiſſime lemniſcata, cujus ſpira inferior lata, ſaturate cærulea, dilute cæruleis & flavis faſciis ambitur; altera & reliquæ ad finem usque ſpiræ verſicoloribus coſtis & profundioribus ſulcis, quam venuſtiſſime diſtinguuntur. Seba. *Theſ.* 3. t. 39. f. 62. 63.

Argenv. *Conchyl.* 1. app. t. 1. f. G.

Berl. Mag. 3. B. p. 125. t. 5. f. 52.

β *alba, faſciis fuſcis.*

Buccinum fluviatile, candidum & in prima & in ſecunda ſpira linea ſubrubra circumdatum. Gualt. *teſt.* t. 6. f. D.

Argenv. *Conchyl.* 1. t. 11. f. M.

Seba *Theſaur.* 3. t. 39. f. 67.

γ *alba, faſciis variegatis.*

Buccinum fluviatile majus, læve, labio interno repando, ex carneo fulvo albido & purpuraſcente colore faſciatum; aliquando lineis interſectis punctatum; nebulatum & marmoris inſtar lucide & eleganter variegatum. Gualt. *teſt.* t. 6. f. C.

Buccinum ſeptem ſpirarum, cujus ſuperiores ſpiræ faſciatæ inferiores undatæ. List. *Synopſ.* t. 12. f. 7.

Buccinum terreſtre ſ. fluviatile. Regenfus *Conchyl.* t. 10. f. 46.

Seb. *Theſ.* t. 39. f. 68.

Oxystrombus faſciatus ſupra; infra ſeptem ſpiris undatus, ore ſubrotundo lævi. Klein. *oſtrac.* t. 2. f. 43.

Teſta

Teſta conico-elongata, minus lævis & nitida quam B. *virgineum*, & craſſiuſcula, alba faſciis latis in majoribus anfractibus integris, in minoribus undulatim interruptis, diverſicoloribus varie inſignita. *Anfractus* octo. *Apertura* inæqualiter ovata, alba, absque ulla gibboſitate e regione axis; faſciæ, niſi teſta lumini obvertatur, non transparent. *Labium* exterius acutum, interius parietem aperturæ oppoſitum veſtiens, ſanguineum; axis non truncatus (exemplaria enim perfecta ſunt) ſed integer, nec foraminulum pone eundem.

Hoc illuſtris a *Linné* varietatem B. *virginei* vult, fundamento innixus, quod ſit *ſtatura & magnitudine eadem, colore tantum diverſa*; ut vero taceam & ipſam ſtaturæ & magnitudinis diverſitatem & axin integrum, quod unica etſi nota lubrica & falſa ejus incrementi ignaro ſufficeret, contrarium ſvadent diverſa faſciarum proportio & diſpoſitio, ſtrigæ in ſpiris, quæ apicem ſpectant, transverſim undulatæ (quæ in omnibus exemplaribus notam ſplendidam faciunt) & primus teſtarum intuitus &c.

Numerus *faſciarum*, earumque latitudo in *faſciatis* teſtis adeo varians eſt, ut teſtæ, quam limax faſcia lata ornaverat, ſi quæ pars diffringatur, nova & reſtaurata faſciis duabus vel pluribus anguſtis tingatur, locum tamen prioris occupantibus.

An terreſtre, fluviatile, marinum, nondum conſtat.

In Indiis.

335. BUCCINUM STRIATULUM.

BUCCINUM teſta conica, alba, ſtriata, axi recto, reflexo.

Dan. LINIE-HORNET.

long. 14-22 lin. lat. 6-8 lin.

A B. *ſtrigato* tantum differt, quod tota alba, absque veſtigio ſtrigarum, & quod ſtriis præſertim in anfractibus minoribus, oculo armato videndis, ſubelevatis inſtructa ſit. *Apertura* ovata, margo absque labro, labium in anfractu vicino; *axis* rectus, perforatus, reflexus.

In Muſeis paſſim.

336. BUCCINUM STRIGATUM.

Buccinum teſta conico-acuminata, glabra, ſtrigis undulatis fulvis, axi recto reflexo.

Dan. FLAMME-HORNET.

long. 2 unc. 3 lin. lat. 1 unc.

Inter Bucc. *faſciatum* & *ſtriatum* medium.

Teſta alba, glabra, absque ſtriis diſtinctis; ſtrigæ longitudinales ſerpentinæ, æquidiſtantes, fulvæ. *Anfractus* octo, minus elongati, quam in B. *ſtriato*. *Apertura* ovato-oblonga, pallide cæruleſcens, ſtrigis pellucentibus. Margo absque labro; labium exiguum in anfractu aperturæ oppoſito pluribus ſolitum; axis rectus, reflexus, perforatus.

In Muſeo *Cappelliano*.

337. BUCCINUM EXARATUM.

Buccinum teſta oblonga, acuminata, alba, ſulcata; apertura repanda.

Dan. REFLE-HORNET.

long. ultra 2 unc. lat. 14 lin.

Teſta

Teſta fragillis, pellucida, alba, immaculata, ſulcis confertis exarata, coſta ſeu carina anfractum cingente. *Anfractus* ſex vel ſeptem, minores glabri; junctura crenulata eſt. *Labrum* acutum, ſubreflexum. *Axis* imperforatus, rectus.

In Muſeo *Spengleriano*, rariſſimum.

338. BUCCINUM TORRIDUM.

BUCCINUM teſta elongata, fuſca, transverſim ſtriata, anfractibus muricato-dentatis.

Dan. SVEDEN-HORNET.

long. 14½ lin. lat. 3½ lin.

Ex menſura jam patet, hanc ſpeciem a Bucc. *Amarulæ* & *ſcabro*, quarum tamen intermedia eſt, diverſam eſſe, illi enim apertura, huic anfractibus accedit.

Teſta lucide fuſca, turrita, pellucida, ſtriis ſpiralibus, minus tamen convexis quam in antecedente, absque ullo ſtrigarum veſtigio. *Anfractus* octo vel novem, mucronibus decem in ſingulo ſurſum porrectis, medium anfractus occupantibus, apice plerumque abruptis. *Apertura* hians, labium exterius acutum, dilatatum, interius adnatum album, nitidum.

Deſcriptio *Strombi* Lin. Syſt. 517. convenit, exceptis maculis ferrugineis, quæ huic deſunt.

In Muſeo *Fabriciano*.

339. BUCCINUM STRIATUM.

BUCCINUM teſta turrita, convexe ſtriata, alba, ſtrigis raris fulvis, axi ſinuato, inflexo.

Dan. STRIBE-HORNET.

long. 2 unc. 3-7 lin. lat. 9-10 lin.

Teſta elongata tenera, pellucida alba. *Anfractus* ſeptem, vix octo, ſecundum longitudinem pulchre ſtriati; ſtriæ diſtinctiſſimæ, confertæ, elevatæ; ſtrigæ longitudinales, lineares, fulvæ, raræ, absque ordine, hæ novum teſtæ incrementum notare videntur. Quilibet anfractus margine ſuo vicino non tantum annecti, ſed aliquantum incumbere videtur. Apertura ovato-oblonga ad axin ſinuata; margo absque labio, axis inflexus canaliculum format apice truncatum.

Rara, albedine & ſtriaturis facile dignoſcitur.

In Muſeo *Spengleriano.*

340. BUCCINUM ACICULA.

BUCCINUM teſta turrita, glabra, alba, axi inflexo, acuto.

TURBO fluviatilis minimus, oblongus, anguſtus, fragilis, ore exili & in acumen acutiſſimum deſinens, candidum. GUALT. t. 6. f. B. B.

HELIX teſta ſubperforata, turrita, anfractibus octo, apertura ſubrotunda. LIN. *Syſt.* 698.

COCHLEA teſta alba, fragili, acuta, ſpiris ſex. GEOFR. 21.

SCHRÖTER *Erdſchnecken um Thangelſtedt.* p. 142.

Dan. NAALE-HORNET.

Germ. DIE NADEL.

Gall. L'AIGUILLETTE.

long. $2\frac{1}{2}$ lin. lat. $\frac{1}{2}$ lin.

Teſta

Teſta acuta, fragiliſſima, candida, absque ſtriis ne oculo quidem armato perceptibilibus; *Anfractus* 5 vel 6 teretes, vix elevati, infimus triplo longior vicino. *Apertura* oblonga ſeu fuſiformis. *Axis* introrſum flexus.

Figura & deſcriptio *Gualtieri* optima, *Linnæana* ex ſynonymo noſcitur.

In ſabuloſo rivo inter alia teſtacea emortua repertum miſit Clariſ. *Schröter*.

341. BUCCINUM COLUMNA.

BUCCINUM teſta turrita, alba, apice fulvo, anfractibus maculatis ſiniſtrorſis; apertura oblonga.

BUCCINUM quinque tenuium & valde productorum orbium e rufo radiatum. LIST. *Synopſ.* t. 38. f. 37. & t. 39.

BON. *Muſ. Kirch.* cl. 3. f. 400.

Dan. STÖTTE-HORNET; LINKS-HORNET.

long. $27\frac{1}{2}$ lin. lat. 6 lin.

Teſta colore & ſplendore aluminis, pellucida, cylindracea, alba, nitida, maculis fulvis per longitudinem ſparſis quaſi radiata. *Anfractus* ſeptem, fere-octo, a dextra in ſiniſtram, circumacti, ſingulariter torti, medio nempe aliquantum cavati, utrinque gibbi; longitudinaliter & ſpiraliter ſubtiliſſime ſtriati; areolæ ſtriis ſeptæ, ſubelevatæ. Anfractus quartus, quintus & ſextus fulvus margine ſupremo albo. *Apertura* oblonga; maculis pellucentibus; margo extimus acutus tenuis absque ullo labro; internus ſive locum axis occupans, ſubinflexus fulvus, ſubtruncatus. *Foramen* nullum

nullum nec axis ullus; teſta vero intus per omnes anfractus ad apicem usque pervia & perſpicua.

Inter cochleas rariſſimas & maxime ſingulares locum obtinet, verum Muſeorum ornamentum.

In Muſeo *Spengleriano.*

XXVII. PLANORBIS.

Vermis cochleatus, tentaculis binis ſetaceis, oculis ad baſin interne.

* Teſta depreſſa:

342. PLANORBIS CONTRARIUS.

PLANORBIS teſta ſiniſtrorſa, ſupra umbilicata, faſciis diverſicoloribus.

SEB. *theſ.* 3. t. 39. f. 1-8, 14-15 at inverſe pictæ.

Dan. LINKS-SKIVEN.

diam. 12-16 lin. axis 4-7 lin.

α *alba*

Teſtam hanc in Muſeis frequenter obviam, non ſatis accurate attenderunt Conchyliologi, hinc circumactio ejus in ſiniſtram non fuit obſervata. Non obſtante hoc ſilentio & ſynonymis ex *Liſtero* & *Kleinio* dextrorſis minus accurate allatis, ex deſcriptione in *Muſ.* L. U. figurisque ex *Seba* deſumptis patet, *Linnæi* H. *cornu arietis* noſtrum eſſe Planorbem. Poſſet quidem Cochlea maxima compreſſa, faſciata *Liſteri* Syn. t. 136. figura præſertim ſuperior, quam *Kleinius* exſcripſit, noſtra eſſe, at cum autor exactiſſimus dextrorſam rugoſamque expreſſerit, judicium meum interponere in tantum hæſito.

α *alba, faſciis quinque ſubæqualibus.*

Planorbis maximus faſciatus. Petiv. *gazophyl.* t. 92. f. 4.

Geve. *Conchyl.* p. 25. t. 3. f. 12. a. b.

Teſta dura, alba, nitida, absque ſtriis, ſupra profundius umbilicata, quam noſtrates, lineis ſive faſciis quinque rufeſcentibus cincta. *Anfractus* quatuor convexi. *Apertura* ovalis; *Labrum* ad anfractum, aperturæ oppoſitum, dilatatum membranæ inſtar adnatum. Pagina ſuperior absque faſcia. *Faux* alba absque nitore, faſciis pellucentibus.

β *alba, faſciis quatuor inæqualibus.*

Helix teſta umbilicata, planiuſcula, apertura ovali. Lin. *Syſt.* 674. Mus. L. U. 666.

Geve. *Conchyl.* p. 24. t. 3. f. 11.

Superiores anguſtæ, approximatæ, inferiores latæ, æque diſtantes; omnes rufo- fuſcæ.

γ *alba, faſciis tribus; ſuprema latiſſima.*

Inferiores faſciæ anguſtæ, approximatæ; ſuperior latiſſima, remota; omnes rufo- fuſcæ.

δ *alba, faſciis quinque; penextimis latioribus.*

Faſcia prima in pagina ſuperiore tenuis, ſecunda approximata latior; reliquæ tres remotæ; harum media lateralibus latior.

ε *alba, faſciis tribus, ſuprema anguſtiſſima.*

In hac & in δ faſcia ſuprema in ipſa pagina ſuperiore, in cæteris in margine ſeu dorſo teſtæ; hæc rurſus variat faſcia media, vel infima latiſſima.

η alba, faſciis tribus, media latiſſima.

Knorr. *Conchyl.* t. 2. f. 4. 5.

Pagina ſuperior absque faſcia.

ζ diverſicolor, faſciis ſeptem.

Geve. *Conchyl.* p. 23. t. 3. f. 9.

Teſta dura, diverſicolor, minutiſſime transverſim ſtriata, ſupra cinereo-fuſca, latere flava, ſubtus alba; in flava regione, quæ media eſt, faſciæ lineares utrinque tres fuſco-purpureæ, medio unica ſanguinea, anfractum cingunt. *Anfractus* quatuor convexi. *Apertura* ovalis. *Labium* dilatatum utrinque anfractui aperturæ oppoſito adnatum, non vero in medio.

Limax ſat ſingularis, ſi quæ de eo absque teſte *Geve* tradit, vera ſint.

An fluviatilis?

In China.

343. PLANORBIS PURPURA.

Planorbis teſta opaca, ſupra umbilicata, immaculata.

Planorbis fluviatilis major, vulgaris. Petiv. *gazoph.* t. 92. f. 5.

Planorbis teſta plana, pulla, ſupra umbilicata anfractibus quatuor teretibus. Geofr. *teſt.* 1.

Purpura ſive cochlea fluviatilis, compreſſa, major. List. *exerc. anat.* p. 59. t. 3. f. 1-4.

Purpura

Purpura fluviatilis compreſſa. List. *ſynopſ.* tab. anat. 7. f. 1 - 3.

Cochlea pulla ex utraque parte circa umbilicum cava. List. *an. angl.* t. 2. f. 26.

Cochlea pulla quatuor orbium; Purpura lacuſtris coccum fundens. List. *ſynopſ.* t. 137. f. 41.

Cochlea fluviatilis depreſſa, pulla, ex utraque parte umbilicata. Gualt. *teſt.* t. 4. f. D. D.

Cochlea limacum minor dilute cæruleſcens. Seb. *theſ.* 3. t. 39. f. 17.

Helix teſta ſupra umbilicata, plana, nigricante, anfractibus quatuor teretibus. Lin. *Syſt.* 671. Mus. L. U. 366.

Argenville *Conchyl.* 1. t. 27. f. 8. 11. t. 8. f. 7.

Swammerd. t. 10. f. 3. 4.

Berl. Magaz. 4. B. p. 249 - 53. t. 8. f. 17.

Geve. p. 27. t. 3. f. 18. & p. 29. t. 3. f. 19.

Bonan. *Muſ. Kirch.* Cl. 3. f. 312. *ricreat.* f. 316.

Lesser *Teſtac.* p. 148. g.

Gin. *op. poſt.* Tom. 2. p. 50. t. 2. f. 12.

Dan. purpur - skiven; purpur - snęglen; post-hornet.

Germ. das vertiefte post - horn; die grosse teller - schnecke.

Gall. le grand planorbe.

Ital. Corn - amone maggiore.

diam. 1 - 15. axis $\frac{1}{2}$ - 5 lin.

Teſta glabra dextrorſa nitida vel obſcura, transverſim absque punctis ſubtiliſſime ſtriata; juniores tantum pellucidæ ſtriis transverſis & ſpiralibus notantur; utrinque planiuſcula, medio concava, umbilicata; umbilicus in pagina ſuperiore diſtinctior. *Anfractus* quinque teretes utrinque convexi ſeſe uti in congeneribus involventes; extimus in adultis in pagina ſuperiore complanatus eſt. *Apertura* lunata, pagina ſuperiore ultra inferiorem elongata; anfractus vicinus in apertura labio obtegitur. Pagina ſuperior dicenda, quæ dorſum Limacis ſpectat; hæc in dextrorſis & ſiniſtrorſis æque profundius umbilicata, quam oppoſita pagina, ejusque labium protenſum, hinc patet, *Geve* fig. 18 & 19., quæ dextrorſæ ſunt, minus bene ſiniſtrorſas dixiſſe. Cæterum hunc *Planorbem* quoque ſiniſtrorſum inveniri obiter indicat Clariſ. MARTINI, cujus ſingularitatis jam meminit, ipſamque cochleam figura expreſſit *Buonani* p. 314 f 316. e Muſeo Mathematici Naumburgenſis deſumta; ulteriore tamen inquiſitione maxime dignum eſt, cum plurimum lucis quæſtioni, an ſiniſtrorſæ cochleæ ſola circumvolutione a dextrorſis diverſæ ſint, hoc exemplum domeſticum afferre poſſit.

Colore valde variat, pulla, fuſca, rufa, alba, ſublutea, cæruleſcens mihi reperta; raram varietatem inveni, ſaturate fuſcam, glaberrimam, nitidam impreſſionibus plurimis ſubquadratis notatam; aliam ſtriis raris, ſubelevatis, longitudinalibus. Sæpe teſtæ quaſi vermiculis corroſæ.

Limax niger; latere ſiniſtro appendicula carnoſa inſtruitur, hanc incedendo laciniæ inſtar extendit. *Tentacula* longa, curvata ſordide cinerea, apice varie criſpata; & contracta, antequam ſtricte extendantur, hæc inteſtinum pallidum, ſordibus fartum, vel ipſa Limacis excrementa, colore & figura ſæpe mentiuntur. *Oculi* difficulter videntur. Animal timidiſſimum, minimum motum ſentiens teſta ſe totum condit, nec niſi de periculo ſecurum rurſus exit, dum congenera & *Buccina* inceſſum a timore tuta pergunt.

E littore

E littore *Coromandel* ſpecimina juniora teneo, transverſim ſubtiliſſime ſtriata, ſtriis æqualibus & æque diſtantibus, oculo armato convexis, cum in noſtris ſtriæ minus diſtinctæ & absque ordine dispoſitæ videantur.

In rivis, paludoſis, aquisque ſtagnantibus, vulgaris.

344. PLANORBIS CARINATUS.

PLANORBIS teſta pallida, pellucida, ſupra umbilicata, carina marginali media.

PLANORBIS teſta plana fuſca, ſupra concava, anfractibus quatuor, margine prominulo. GEOFR. *teſt.* 4.

COCHLEA fuſca, altera parte planior & limbo inſignita quatuor ſpirarum. LIST. *an. angl.* t. 2. f. 27.

COCHLEA fuſca limbo circumſcripta. LIST. *Syn.* t. 138. f. 42.

COCHLEA fluviatilis depreſſa, altera parte complanata & limbo inſignita quatuor ſpirarum. GUALT. *teſt.* t. 4. E E.

HELIX teſta ſubcarinata, umbilicata, plana: ſupra concava, apertura oblique ovata, utrinque acuta. LIN. *Syſt.* 662.

SWAMMERD. *Bibl. nat.* t. 10. f. 5.

KLEIN. *oſtrac.* t. 1. f. 8.

Berl. Mag. 4. B. p. 254. t. 8. f. 18.

GEVE. t. 4. f. 21. a. b. & 23. minus bonæ.

Dan. KIÖL-SKIVEN

Germ. DIE KLEINE PLATTE SCHNECKE; DAS GELBLICHE PLATTE POST-HÖRNCHEN.

Gall. LE PLANORBE A ARETE.

diam. 1 - $5\frac{1}{2}$ - $7\frac{1}{2}$ lin. alt. $\frac{1}{4}$ - $\frac{1}{2}$ lin.

Teſta plana cornei coloris, pallida, parum flavicans, glaberrima, pellucida, ſubtiliſſime transverſim ſtriata, ſupra convexa, parum umbilicata, ſubtus planiuſcula, ſolo centro aliquantum cava. *Anfractus* quatuor planiuſculi, ſupra minus convexi, quam in Pl. *umbilicato*, extimus imprimis, qui ſupra ſenſim verſus utrumque latus inclinatur, ac latior eſt, quam in *umbilicato*; *Carina* in medio marginis acuti, ſeu ipſum totum marginem occupat, hinc ab utraque pagina conſpicua eſt; *Apertura* ovato-acuta; margo nempe anfractuum acutiſſimus, aperturam ſimul acutam reddit.

Limax aperturam & interiores anfractus tantum occupat, exterior latiſſimus ſemper vacuus apparet.

Teſtæ juniores & adultæ omnes, etiam limace foetæ, pellucidæ, carina marginali diſtinctæ; inter complures tamen unicum juniorum ſpecimen reperi, omni margine carinato deſtitutum.

In copula alter maſſam carneam informem a ſiniſtro latere, pone tentaculum hoc quinquies craſſiorem exſertam in aperturam pallii alterius infert, ibique varie tentat; maſſa hæc annulato-rugoſa eſt, corporeque limacis pallidior, lumbriciformis. Alterius genitalis veſtigium nullum videre potui.

In lacubus ac foſſis frequens. *Italici* noſtris majores.

345. PLANORBIS VORTEX.

PLANORBIS teſta flavo-fuſca, ſubcarinata, ſupra concava, ſubtus plana.

PLANORBIS polygyrata minor. PETIV. *gaz.* t. 92. f. 6.

PLANORBIS

PLANORBIS teſta plana fuſca, ſupra concava, anfractibus ſex, margine acuto. GEOFR. *teſt.* 5.

COCHLEA exigua ſubfuſca, altera parte planior ſine limbo, quinque ſpirarum. LIST. *an. angl.* t. 2. f. 28.

COCHLEA exigua quinque orbium. LIST. *Syn.* t. 138. f. 43.

COCHLEA fluviatilis, exigua, depreſſa, altera parte planior, ſubflava ſine limbo, quinque ſpirarum. GUALT. *teſt.* t. 4. G G.

HELIX teſta carinata, ſupra concava, apertura ovali, plana. LIN. *Syſt.* 667.

KLEIN. *oſtr.* t. 1. f. 9.

Berl. Mag. 4. B. p. 257. t. 8. f. 19.

GEVE. t. 4. f. 22, prava.

Dan. HVIRVEL-SKIVEN.

Germ. DIE SECHSFACH GEWUNDENE TELLER-SCHNECKE.

Gall. LE PLANORBE A SIX SPIRALES A ARETE.

diam. $1\frac{1}{2}$-4 lin. alt. $\frac{1}{4}$ lin.

Teſta pellucida, ſtriis transverſis minutis: vacua flava, foeta fuſca, ſubtus planiſſima, ſupra medio concava. *Anfractus* quinque, ſex, in quibusdam ſeptem, ſupra convexiuſculi, ſubtus plani; extimus in angulum, ſeu marginem acutum compreſſus, vel ſi mavis ſupra convexus in margine inclinatus, ſubtus planus. *Apertura* ovata, anfractus ejus pagina inferiore vel acuto margine impoſitus, vel extra eundem. Aperturæ margo tenuis, acutus. *Limax* rufus, tentacula alba.

Sæpe ex aqua in vicina objecta ſicca aſcendere ſolet. Plures in vaſculo aquæ repleto ſervatos, menſe Septembri parietibus vaſis affixos extra aquam dies quosdam hærere vidi; hi quoties aquæ immiſſi

immiſſi, mox rurſus exiere; ac ultra ſeptimanam in ſicco ſine vitæ dispendio morabantur; vitæ ulterius periculum non feci.

In paludoſis & plantis aquaticis vulgaris.

346. PLANORBIS UMBILICATUS.

PLANORBIS teſta fuſca, opaca, utrinque ſubumbilicata, carina marginali infera.

PLANORBIS teſta plana, ſubtus concava, anfractibus tribus deorſum marginatis. GEOFR. *teſt.* 6.

HELIX teſta deorſum carinata, umbilicata, convexa, ſubtus plana, apertura ſemicordata. LIN. *Syſt.* 663.

Dan. NAVLE - SKIVEN.

diam. 1 - 6½ lin. axis ¼ - ¾ lin.

Teſta brunnea, fuſca, interdum pallida, lumini obverſa pellucida, ſubtiliſſime transverſim ſtriata, ſupra & ſubtus convexa, medio depreſſa; parum umbilicata. *Anfractus* quinque vel ſex utrinque convexi; extimus anguſtior, magis elevatus, quam in Pl. *carinato*, extus rotundatus, non acutus, hinc margo latior eſt, nec in carinam perditur, ſed ipſa carina tantum infimam ejus partem occupat; hæc cauſa eſt, cur ab inferiore pagina unice conſpicitur. *Apertura* ovata eſt, non in anfractu oppoſito acuta, ſed rotundata, carina in quibusdam minimam compreſſionem efficiente. In vetuſtioribus carinæ veſtigium modo ſupereſt, ac in pullis pluribus, qui cæterum in omnibus majoribus ſimillimi ſunt, nullum ejus rudimentum, horum quidam brunnei, opaci vel pellucidi; alii albiſſimi pellucidi, quos pro diverſa ſpecie ne ſumas, cavendum eſt. *Limax* niger; *Tentacula* rufa.

Satis

Satis diu hæſito, an hic Helix *Planorbis* Linnæi, an *complanatus* autorum dicatur, & deſcriptiones me dubium adhuc reliquunt; quid quod, hunc & *Planorbem* confudiſſe videntur & ſequens forte erit eorum *complanatus*. In tantis difficultatibus has tricas ſolvendi, ipſo Linnæo litteris fruſtra conſulto, Planorbem & complanatum, nomina generi toti propria, oblivioni dandos, deſcriptiones & nomina aptiora magisque ſignificantia effingenda reor.

In paludoſis vulgaris; pulli frequentes in conferva rivulari.

347. PLANORBIS SPIRORBIS.

Planorbis teſta flaveſcente, utrinque concava, æquali; anfractibus teretibus.

Planorbis teſta plana, alba, utrinque concava, anfractibus quinque teretibus. Geofroi teſt. 2.

Helix teſta utrinque concava, plana, albida, anfractibus quinque teretibus. Lin. *Syſt.* 672.

Berl. Magaz. 4. B. p. 258. t. 8. f. 20.

Dan. BRIKKE - SKIVEN.

diam. $\frac{1}{2}$ - 2 lin. alt. $\frac{1}{4}$ lin.

Teſta pellucida, vix ſtriata (veſtigia ſtriarum oculo armato ægre detegenda) pallide flaveſcens, utrinque fere æqualis, in medio parum cava. *Anfractus* quatuor vel quinque utrinque convexi, minus tamen in inferiore pagina, margine tereti absque ulla carina. *Apertura* rotundata ſublabiata; margo ſaltem ſummus intus albus, craſſiuſculus. Hac nota & convexitate paginæ inferioris a P. *vortice* diſtinguitur, cujus meram varietatem diu credidi.

In paludoſis cum P. *vortice*, at minus vulgaris.

348. PLANORBIS CONTORTUS.

PLANORBIS teſta fuſca, ſupra plana, ſubtus umbilicata, apertura arcuata.

PLANORBIS minima craſſa. PETIV. *gazoph.* t. 92. f. 8.

PLANORBIS teſta fuſca, ſupra plana, ſubtus concava, perforata, anfractibus ſex teretibus. GEOFROI *teſt.* 3.

HELIX teſta ſubumbilicata, plana, utrinque æquali, apertura lineari arcuata. LIN. *Syſt.* 673.

Berl. Magaz. 4. B. p. 260. t. 8. f. 21. p. 261. No. CXVI.

Dan. TOBAKSRULLE-SKIVEN.

Germ. DIE KLEINE TELLER-SCHNECKE ODER POSTHÖRNCHEN.

Gall. LE PETIT PLANORBE A SIX SPIRALES RONDES.

diam. 1-2 lin. axis ½ lin.

Teſta opaca, fuſca, brunnea, interdum fulva, centro pellucida, in aqua tota deaurata, ſupra plana puncto centri cavo, ſubtus umbilicata; Anfractus arctiſſime ſibi invicem perpendiculariter adpreſſi, pro ætate tres, quatuor, quinque, ſex, ſeptem; hinc H. *contorta Lin.* & Planorbis 3. *Geofr.* ſola ætate diverſa. Subtus umbilicus excavatus, quatuor & in paucis ſex anfractus numerandi. *Apertura* lunæ inſtar, in primo quadrante, arcuata.

Limax griſeus; tentacula vix ½ lineæ longæ, griſea margine albo.

In foſſis aquoſis, in Lemna & Marchantia.

349. PLA-

349. PLANORBIS NITIDUS.

PLANORBIS teſta polita, flaveſcente, ſupra convexa, umbilicata, ſubtus plana perforata.

Berl. Magaz. 4. B. p. 262. t. 8. f. 22.

Dan. GLANDS-SKIVEN.

diam. $\frac{1}{6}$ - 3 lin. axis $\frac{1}{8}$ - $\frac{1}{2}$ lin.

Teſta tota lævis, politiſſima, nitida, diaphana, fuſca vel flaveſcens, qua vermis latet, nigra. *Anfractus* pro ætate uti in reliquis tres, quatuor, quinque. *Extimus* ſemper interioribus ſimul ſumtis duplo latior, ſupra convexus, ſubtus planus vicinum ita includit, ut minima ejus pars ſupra conſpiciatur, ſubtus fere nulla, hinc interiores ſupra & ſubtus umbilicum formant, hac tamen differentia, quod centrum paginæ ſuperioris parum cavum anfractus numerare permittat, inferioris vero anguſtius & ad verticem usque perforatum, anfractus minus clare monſtret. *Apertura* cordata, in quibusdam albida. Eo ſenſu, quo præcedentes, carinatus minus bene dicitur, in illis enim lineola marginalis extra teſtam prominere videtur, in hoc minime; nec margo alius anfractum cingit, ſed ipſius anfractus ſtructura, convexa ſupra, plana ſubtus, marginem conſtituit. Ultra quinquaginta examini ſubjeci, quorum quidam ſtrigis duabus ligamentorum inſtar in ſuperna parte extimæ ſpiræ, forte ex reſtauratione fractæ teſtæ, notantur.

Limax niger, in junioribus totus albus. Tentacula apice alba.

A præcedentibus, colore, figura & ſtructura diverſus, hinc non poteſt eſſe Planorbis 6 Geofr. An H. complanata *Linnæi*, haud liquet.

Corpuſcula ovata, pellucida, margine obſcuro, teſtæ ſæpe adhærent, qualia in Nerita *Rubella*, an ova limacis vel alius animalculi?

In foſſis aquarum haud infrequens.

350. PLANORBIS ALBUS.

PLANORBIS teſta alba, utrinque umbilicata, apertura dilatata.

PLANORBIS minima duorum orbium. PETIV. *gazophyl.* t. 92. f. 7.

Berl. Magaz. 4. B. p. 253. t. 8. f. 23.

Dan. DEN HVIDE SKIVE.

diam. 1 - 2 lin. alt. $\frac{1}{2}$ lin.

Teſta albida, pellucida, raro ſubfuſca, ſupra planiuſcula, ſubtus convexa, utrinque æque umbilicata. *Anfractus* teretes, in adultis ad ſummum quatuor; lenticulæ oculari ſtriis longitudinalibus & transverſalibus inſigniti, hæ in quibusdam obſoletæ & vix detegendæ, illæ ſatis conſpicuæ. *Anfractus* extimus reliquis omnibus major & latior, ſuperna ejus pars ultra infernam valde extenſa eſt, uti in P. *Purpura*. *Apertura* rotundata, larga, obliqua margine inferiore anfractum vicinum tegit.

Limax griſeus, $1\frac{1}{4}$ lin. longus. *Tentacula* albida ejusdem fere longitudinis. Soli *oculi* nigri.

Vaſculo vitreo ſervati copula medio Julii jungebantur, ſimul agentes & patientes. Membra genitalia latere ſiniſtro.

In plantis aquaticis amnis *Fridrichsdalenſis*.

351. PLA-

351. PLANORBIS IMBRICATUS.

PLANORBIS teſta alba, umbilicata, carina dentata.

PLANORBIS teſta plana, ſubtus concava, anfractibus tribus, plicis transverſis, fimbriatis. GEOFR. *teſt.* 8.

TURBO teſta planiuſcula anfractibus annulatis, dorſo criſtatis. LIN. *Syſt.* 654.

ACTA *helv.* 4. p. 212. t. 9. f. 21, 22.

ROES. *inſ.* 3. t. 97. f. 6, 7.

Berl. Magaz. 4. B. p. 269.

Dan. TEGEL - SKIVEN.

Germ. DIE ZIEGELFÖRMIGE TELLER - SCHNECKE.

Gall. LE PLANORBE TUILÉ.

diam. $\frac{1}{2}$ - $\frac{2}{3}$ lin. alt. $\frac{1}{8}$ lin.

Adeo minuta & levis eſt cochlea hæc, ut, poſtquam plures annos cognoverim, centies viderim, omni cura ſervaverim, dum eam novo examini ſubjicio, totus ei & ejus deſcriptioni intentus, eodem temporis momento uno oris halitu plures collectas difflarem, imagine granorum pulveris deceptus.

Teſta alba, pallida vel cinerea, minutiſſima, pellucida, fragiliſſima ſupra plana, ſubtus convexa, umbilicata, lineis transverſis ligamentorum inſtar elevatis cincta; hæ in margine prominentes carinam denticulatam reddunt. *Anfractus* vix $2\frac{1}{2}$, in centro ſubtus quoque ope lentis conſpicui. *Apertura* rotundata larga.

Plicæ ſeu lineæ elevatæ transverſæ facile abſterguntur; *denticuli* in carina diutius perſiſtunt, ſæpe tamen delentur, ita ut teſta facile glaberrima reperiatur, veſtigio plicarum, ſi lumini quoque obvertatur, in quibusdam vix ſuperſtite; obſoletam hanc *Roeſel* pro ſpecie ſumſit.

Limax albus; *Tentacula* vix capite longiora.

Figura *Roeſelii* bona eſt, apertura vero nimis circinnata, cum pagina teſtæ ſuperior in noſtris plana ſit, ac anfractus vicini pars aperturam ſecet. Numerus quoque anfractuum in noſtro minor, & menſura in ſpecimine Clariſ. *Geofroi* major, plurium enim, quos inveni, nullus menſuram lineæ æquavit.

Hunc *Linnæus* primum *Nautilum*, dein *Turbinem*, nec meliori jure, fecit, teſta enim nec polythalamia, nec ſolida, nec inter Turbines ejus turritos, ſed umbilicatos, referendus eſt.

Quærendus eſt in gutulis ſolitariis folio *Nymphææ* & *Potamogotonis* ex aqua extracto bullarum arenarum inſtar adhærentibus.

In rivo *Fridrichsdalenſi*.

352. PLANORBIS SIMILIS.

PLANORBIS teſta pellucida, ſupra umbilicata, punctis ſtriata.

Berl. Magaz. 4. B. p. 265. t. 11. f. 64. B.

Dan. LIGEDAN - SKIVEN.

diam. 3 lin. axis 2 lin.

Hujus tanta cum junioribus Pl. *purpuræ* ſimilitudo, ut non obſtante Clariſ. *Martini* exacta deſcriptione & figura, eundem putarem, niſi ipſe inventor mihi ſpecimen miſiſſet; hoc etiam cum junioribus dictæ cochleæ conferendo, nudo oculo nulla differentia apparuit, ſi umbilicum in ſuperiore pagina minus diſtinctum exceperis, armato quoque aqua diu hæſit; tandem ope lenticulæ ſtrias in hoc argutiſſime punctatas eſſe, ex punctis pubem minimam, armato quoque oculo ægre conſpicuam, pullulare, detexi; pubes hæc ratio eſt, cur teſta minus nitida, quam P. *purpura* appareat.

Adde,

Adde, quod teſtæ P. *purpuræ* apertura impoſita non quieſcat, hæc vero ſemper.

Lacinia carnoſa limacis, quæ dextro latere propendere dicitur, in figura ſiniſtro picta eſt, jure quidem uti ex analogia cum *purpura* ſuſpicor.

In foſſis Berolinenſibus.

Hæc Anno 1769. Septembri anni inſequentis in paludoſo luci *Spurreſkiul* Fridrichsdalenſis rariſſimum hunc Planorbem reperi, novoque examine hæc addere libet.

Color teſtæ P. *purpuræ* in aqua in rufum, hujus in luteum vergit, extra aquam, dum adhuc madet, ſtriæ longitudinales in hoc, minus in illo, conſpicuæ, qua nota nudus oculus eos diſtinguit. Armatus ſeries punctorum elevatorum, quæ formantur ex pube adhuc madente, in teſta aqua extracta, pulchras percipit.

Limax omnino uti in *purpura*; lacinia pallii, membrana ovata ſuperne parum reflexa, a latere ſiniſtro propendet.

Varietas Pl. *purpuræ*, an vera ſpecies nihilominus ambigo.

* * Teſta conica:

353. PLANORBIS BULLA.

PLANORBIS teſta fragili, ſiniſtrorſa, vertice obtuſo, apertura ovata.

PLANORBIS teſta fragili, pellucida, globoſa, anfractibus quatuor ſiniſtrorſis. GEOFR. *teſt.* 10.

BULLA

Trinæ hæ Cochleæ diſpoſitioni *Teſtaceorum* ex ſtructura *Limacis* averſari videntur, cum teſtarum figuræ *Helici* vel *Buccino* maxime affines a congeneribus toto cælo diſcrepent, at re vera, ideis acceſſoriis *Planorbem* ovatum, turritum vel caudatum ægre ferentibus, generi aliud tantum nomen urgent.

Bulla teſta ovata, pellucida contraria, ſpira obſoleta, apertura ovato-oblonga. Lin. *Syſt.* 386.

Buccinum exiguum trium ſpirarum, a ſiniſtra in dextram convolutarum. List. *an. angl.* t. 2. f. 25.

Buccinum fluviatile, a dextra ſiniſtrorſum tortile triumque orbium, ſive Neritodes. List. *Syn.* t. 134. f. 34.

Buccinum fluviatile, teſta fragili, pellucida, albida, prima ſpira admodum elongata & ventricoſa. Gualt. *teſt.* t. 5. f. cc.

Berl. Magaz. 4. B. p. 365. t. 11. f. 61.

Dan. boble-perlen.

Germ. die wasser-blase.

Gall. la bulle aquatique.

long. 1-4 lin. lat. ½-2 lin.

Teſta ovata, diaphana, nitidiſſima, tenera & fragilis, flavicans; quædam aeri expoſitæ albicant. *Anfractus* tres, extimus magnus, ventricoſus, reliqui minimi in vertice obtuſo. *Apertura* effuſa, margine columellam incumbente in adultis albo.

Limax albus vel griſeus pallio in varias lacinias, quibus teſta operitur, diſſecto inſtruitur.

Licet *Liſteri* Buccinum dextrorſum dicatur, ac in tabula 2 tale ſiſtitur, ex contrario reliquarum in iſta tabula cochlearum ſitu hoc tamen indigitari patet. Apex quidem in *Gualtieri* figura acutus ſiſtitur, figura vero ſiniſtrorſa & ipſa deſcriptio noſtrum eſſe vix dubitare ſinunt. Bulinus cl. *Adanſon* a noſtra Bulla diverſus eſt.

In rivo, lacubus ac fontibus, Julio, Auguſto & Septembri frequentiſſime. Ante ſolſtitium nullum unquam invenire potui.

354. PLA-

354. PLANORBIS TURRITUS.

PLANORBIS teſta nitida, vertice acuminato, apertura oblonga.

Dan. TAARN - PERLEN

long. $\frac{1}{2}$ - 6 lin. lat. $\frac{1}{4}$ - $1\frac{3}{5}$ lin.

Facies *Buccini*, at tentacula filiformia.

Teſta ovato - oblonga, apice acuminata, ſiniſtrorſa, glabra, politiſſima, limace foeta, nigra, vacua fulva, pellucida. *Anfractus* teretes 3 - 6. *Apertura* inverſe conica; in perfectis labrum in extremitate columellæ ſulcatum incarnati coloris. Teſta in majoribus vermibus ſæpe eroſa.

Limax junior griſeus, adultior nigerrimus. *Oculi* aterrimi; apex *tentaculorum* albus; unus mihi obtigit, cui oculus ſiniſter defuit. *Teſtæ* minores, limace foetæ, extra aquam nigræ, in aqua minus.

Limax quamvis *concreto rigeat vincta repente gelu*, ſoluto tamen reviviſcit; plures enim in vaſculo frigori hiemali expoſito glacie correpti, in tepidarium relati, liqueſcente eadem, libere vagabantur.

Poſſet eſſe Bulla Hypnorum *Linnæi*, at cum tenerrima & minus acuta, quam Bulla fontinalis (Pl. Bulla) quæ obtuſa eſt, dicatur, noſtraque minus tenera ſit, quam Pl. Bulla, pluribusque cochleis commune ſit, ſpiram infimam habere majorem toto corpore teſtæ ſuperioris, non liquet. Poſſet eſſe Buccinum ſeptimum *Argenv.* 1. t. 27. f. 6., ſi deſcriptionem & anfractus ſiniſtrorſos ſpectes, at nec ventricoſus eſt, nec in ſicco unquam obvius fuit.

In aquis foſſarum inter putrida folia, ac in foſſis campeſtribus agri Fridrichsdalenſis & alibi haud infrequens. Clariſ. *Schröter* e Saxonia miſit, celeberrimus *Chemnitz* dealbatum in ripa Danubii reperit.

355. PLANORBIS GELATINUS.

PLANORBIS teſta fragiliſſima, ſiniſtrorſa, vertice depreſſo; apertura caudata.

Dan. SLIIM-PERLEN.

long. $2\frac{1}{2}$ lin.

Teſta ventricoſa, fulva, diaphana, nitida, tenerrima, tactus omnino impatiens, pluma levior. *Vertex* latus, depreſſus anfractibus obſoletis, extimo excepto, qui totam teſtam efficit. *Apertura* in mucronem acutiſſimum elongata.

Limax griſeus, teſta ſua triplo major, hinc ea condi nequit. Inſtruitur pallio gelatinoſo, craſſo, domunculam fragiliſſimam maximam partem involvente.

In rivo, omnium rariſſimus.

XXVIII. NERITA.

Vermis cochleatus, tentaculis binis ſetaceis, oculis ad baſin externe.

356. NERITA SPHÆRICA.

NERITA teſta globoſa, cornea, vertice obtuſo.

Dan. KUGLE NERITEN.

diam. $\frac{3}{4}$ - 2 lin.

Teſta

Nerita & Valvata *operculo* perenni facile dignoſcuntur; hoc ab ipſa teſta undique ſolutum pedi limacis adhæret, aperturamque cochleæ

Teſta ſubgloboſa, cornea, diaphana, alba vel cinerea, immaculata, glabra, apice obtuſo non adeo acuto, uti in N. *jaculatore*, conferva plerumque obſita. *Anfractus* quatuor convexi; infimus ventricoſus, reliquis omnibus ſimul ſumtis duplo largior & longior, cum in *jaculatore* longitudine æqualis ſit. Varietatem cineream ſtrigis anfractuum transverſis albidioribus reperi. Cætera uti in *jaculatore*, a qua differentia teſtæ ſplendida diverſam ſpeciem conſtituere videtur.

In paludoſis, minus frequens.

357. NERITA PUSILLA.

NERITA teſta globoſa, vireſcente, perforata, apertura circinnata.

Berl. Magaz. 4. B. p. 268. t. 8. f. 26.

Dan. ERT - NERITEN.

diam. 1 lin.

Teſta ſubgloboſa plerumque invenitur, & alba exſiccata, recens vero cornea, ſubviridis. *Neritam piſcinalem* valde refert, at multo minor, & tamen anfractuum quatuor eſt. *Apertura* exacte circularis columellæ labio albido incumbit. *Centrum* pervium.

In lacu *Ruppinenſi*. Clariſ. *Martini* miſit.

cochleæ arcte claudit, hinc teſtæ operculatæ nihil cum bivalvibus commune habent; cl. *Geofroi* quidem aſſerit, dari genera, quorum opercula ipſi teſtæ juncta ſint, at nec nominantur, nec mihi noſcuntur.

358. NERITA PISCINALIS.

NERITA teſta globoſa, perforata, rufo-fuſca.

Dan. DAM-NERITEN.

long. 2-3 lin. lat. $1\frac{1}{2}$-$2\frac{1}{2}$ lin.

Teſta rotundata, ſubgloboſa, duriuſcula, opaca (lumini obverſa parum pellucet) fuſca vel rufa, impura, ſubtiliſſime transverſim ſtriata. *Anfractus* quatuor, rotundati, ample excurrentes. *Apertura* circinnata. *Faux* albida, ſive margaritacea. *Centrum* pervium & quaſi umbilicatum, at nulli anfractus in eo viſibiles.

Teſtas vacuas plures reperi, limace foetam ne unquam ullam, licet ſæpius quæſiverim.

In piſcina horti *Fridrichsdalenſis* frequens, nec unquam alibi reperi.

359. NERITA AMPULLACEA.

NERITA teſta perforata, ventricoſa, ſupra depreſſa, apice obtuſo; apertura larga.

COCHLEARIA lutaria. RUMPH. *Conchyl.* t. 27. f Q. PETIV. *gaz. amboin.* t. 12. f. 14.

GALEA faſciata; media Pomatia, tenuis, ſubviridis & fuſca, venis transverſalibus. KLEIN. *oſtrac.* p. 57. ſpec. 11. 2.

HELIX teſta ſubumbilicata, ſubgloboſa, glabra, anfractibus ſupra ventricoſioribus, umbilico ſubobtecto, apertura ovato-oblonga. LIN. *Syſt.* 676. MUS. L. U. 666.

COCHLEA

Cochlea terreſtris vulgaris, oblonga, ventricoſa, fere pellucida, ſplendens, colore carneo, & ſubalbido depicta, nonnullisque faſciis ſubrubris leviter & obſcure cincta. Gualt. *teſt.* t. 1. f. R.

Cochlea e viridi ſubflava, clavicula leviter compreſſa, faſciis anguſtis donata. List. *Syn.* t. 130. f. 30.

Berl. Magaz. 3. B. p. 152. t. 6. f. 68.

Geve t. 27. f. 289. a, b. & f. 291. nimis coloratæ.

Lesser *Teſtac.* p. 162.

Dan. KRUKKE-NERITEN.

Makaſſerenſibus SISSO CAPONG ET SISSO POTIR.

Batavis SLYK-SLEK; GEBANDE AJUYN SCHIL.

Germ. SCHLAM-SCHNECKE; KOTH-SCHNECKE.

Angl. SMOOTH GIRDLED SNAIL-SHELL.

diam. 8-19 lin.

Teſta ovato-ventricoſa, glabra, nitens, virideſcens, apice obtuſo. *Gualtieri* figura quidem mucrone acuto terminatur, at noſtra ſpecimina omnia obtuſa. Supra dilatata eſt, infra in figuram ovatam coarctatur. *Anfractus* quinque ſupra planiuſculi, extimus ampliſſimus. *Umbilicus* nullus, mera rima ſeu foramen, quod quidem in nonnullis aperturæ labio obtegitur. *Apertura* ovato-oblonga, labro albo, membranaque tenui columellam obtegente, concolore. Intus *faſciæ* plures rufæ conſpicuæ. *Operculum* durum, corneum, auriforme, ſublunatum, extus ſqualide griſeum, lineis concentricis tenuiſſimis, intus glabrum, ſplendens, colore ſtanni, diſco area oblonga, cornea, opaca, ſtriis undulatis exarata, centro polito ſplendente. Onyx *Rumphii*, cap. 17. n 9. minores (ſiſſopotir Rumphii) albæ intus & extus rufo-faſciatæ, ultra centrum perforatum, ut recte meminit *Rumphius*, magis acuminatæ reliquis.

Ab H. *effuſa* imprimis diſtinguitur centro non umbilicato; teſtaque ultra centrum acuminata.

Variat livida, nigricans & ex luteo viridis, faſciis extus conſpicuis vel inconſpicuis, ſaturatioribus; harum novem & plures, quasdam duplicatas inæquali latitudine numeravi. Striæ transverſales conſtantes. Faux fuſca, faſciata.

Licet *Rumph* hanc terreſtrem vocet, ex verbis ejus tamen & ex operculo patet, eam fluvialibus deberi.

In Aſiæ paludoſis.

360. NERITA URCEUS.

NERITA teſta ſubumbilicata, ventricoſa, rugoſa, fuſca; apertura effuſa alba.

COCHLEA maxima e viridi, nigricans. LIST. *Syn.* t. 125. f. 25.

COCHLEA lutaria maxima *Rumphii.*

Dan. ÖSE- NERITEN.

Gall. IDOLE.

Makaſſer. SISSO SALOMBE.

diam. 5 unciarum.

Media inter N. *effuſam* & *ampullaceam*; *hanc* dicerem niſi obſtaret umbilicus diſtinctus & pervius, teſta circa umbilicum non acuminata, & anfractus juxta junctúram non depreſſus, ſed convexus; *illam*, niſi contrarium juberet, umbilicus minus patulus, teſta ſupra non depreſſa ſed convexa.

Teſta dura, craſſa, nitida, fuſca, ſtriata, rugoſa, absque faſciis aut maculis. Anfractus ſeptem. Apertura uti in H. *ampullacea*; faux vero tota alba immaculata, nec faſciata nec labro craſſiori

craſſiori diſtincta. Faſciæ duæ vel tres, quæ, teſta lumini obverſa, in fauce videntur, ſunt mera veſtigia novæ teſtæ accretionis, non ſecundum anfractus, ſed transverſim ductæ. Umbilicata revera eſt & pervia, at in umbilico vix duo anfractus conſpicui.

In Inſulis Indiæ edulis. In Muſeo *Moltkiano*.

361. NERITA EFFUSA.

NERITA teſta umbilicata, ventricoſa, faſciata, ſupra depreſſa, apice acuto; apertura effuſa.

COCHLEA maxima faſciata. LIST. *Syn.* t. 128. f. 28.

SEB. *theſ.* 3. t. 40. f. 3, 4, 5.

GEVE, p. 30. t. 3. f. 20.

Dan. NAVLE - NERITEN.

Gall. OEIL D'AMMON; OEIL DE BOUC.

Germ. AMMONS AUGE.

diam. 14 - 18 lin.

α *faſciis ſeptem.*

Faſciarum (ab umbilico numerando) quarta latiſſima, 3, 5 & 6 tenuiſſimæ.

β *faſciis octo.*

Tertia latiſſima, prima, 6 & 8 tenuiſſimæ.

γ *faſciis novem.*

Secunda & ſexta latæ, reliquæ ſubæquales.

ε *faſciis*

ε faſciis undecim.

Secunda, tertia & ſexta latiſſima, 1, 4, 5, 8, 11. anguſtæ.

η faſciis duodecim.

Secunda, 3, 5, 11. latiſſimæ, 12 anguſtiſſima, reliquæ ſubæquales.

Facies N. *ampullaceæ*, at ſtructura diverſa.

Teſta alba, faſciis compluribus fuſcis inæqualibus in ſpira majori numero & latitudine variantibus, ſupra ſubdepreſſa, ſpiris in centro in mamillam elatis; ſubtus convexa, umbilico diſtincto patulo, ſpiris protuberantibus pervio, faſciis notatis. *Anfractus* ſex, extimus amplus, qua vicino jungitur, depreſſus. *Apertura* elliptica ultra latitudinem anfractus adjacentis deorſum protenſa; intus ſubfulva absque ulla pellucente faſcia, vel faſciis omnibus pellucentibus. Labrum interius teſtæ adnatum. Teſta nitidiſſima polituram induit.

Teſta in ε, η. ſupra minus depreſſa, quam in reliquis, umbilicusque minus largus, ſat tamen patulus.

Seba terreſtrem dicit, at levis autoritatis eſt.

In Muſeo *Moltkiano*.

362. NERITA TROCHUS.

NERITA teſta trochiformi, carinata, apertura coarctata.

Dan. TOP-NERITEN.

long. 3 lin. lat. 2¼ lin.

Teſta

Teſta cretacea, craſſa, trochiformis, vertice obtuſo. *Anfractus* quinque in planum declinantes, medio carinati, inferne convexi; ultimus largior. *Apertura* ad anfractum vicinum in angulum coarctata; centrum umbilicatum eſt.

In Saxonia Weimarienſi. Cl. *Schröter* miſit.

363. NERITA ELEGANS.

NERITA teſta ovata, cinerea, ſpiraliter convexe ſtriata; apertura adnata.

NERITA teſta oblonga, cinerea, denſiſſime ſtriata, maculis rufeſcentibus, anfractibus quinque. GEOFR. *teſt.* 1.

COCHLEA operculata, parva, tenuiſſime ſtriata, faſciata. LIST. *exerc. anat.* p. 2. t. 1.

COCHLEA terreſtris turbinata & ſtriata. COLUMNA *Purp.* c. 9. p. 27. optima. LIST. *Syn.* t. 27. f. 25.

COCHLEA cinerea, interdum leviter rufeſcens, ſtriata, operculo teſtaceo cochleato donata. LIST. *an. angl.* t. 2. f. 5. minus bona.

TURBO terreſtris ſtriatus, ſubruber & lineis variegatis obſcure punctatus. GUALT. *teſt.* t. 4. f. A.

TURBO terreſtris tenuiſſime ſtriatus, ipſo ore circinnato, cui etiam limbus latus ſtriatus albidus. GUALT. *teſt.* t. 4. f. B.

ARGENVIL. *conchyl.* t. 28. f. 12. & 11, t. 9. f. 9. *Berl. Magaz.* 2. B. p. 604. t. 1. f. 4 & 6.

Dan. NET - NERITEN.

Germ. DIE FEINGESTRICKTE DECKEL - SCHNECKE.

Gall. L'ELEGANTE STRIEE.

long. 6 lin. lat. 4 lin.

Teſta ovato-oblonga, dura, cinerea, flaveſcens, vel umbra & maculis rubris ſuffuſa; ſtriæ convexæ ſpiras denſe ambiunt, area inter ſtrias ſpirales rurſus oculo armato minutiſſime ſtriata. *Anfractus* quinque convexi. *Apertura* circinnata anfractui vicino ex parte adnata. Umbilicus nec foramen ullum; rimula tantum inter aperturam & columellam. *Operculum* corneum, cochleatum ſtriis ſubtiliſſimis radiantibus.

Specimina, quæ ex Italia teneo, vel cinereo flaveſcentia immaculata, vel rubentia punctis ſaturatioribus ſpiras percurrentibus, cæterum eadem, figuræque utrique *Gualtieri* convenientia. Autor hic per limbum operculum intelligere videtur.

Figuræ ex *Argenville* deſumtæ minus bonæ ſunt; ſtriæ enim, quæ ſpiras teſtæ ambire debent, transverſim ſculptæ ſunt, limacique quatuor tentacula oculos apice præferentia tribuuntur, cui, *Nerita* ſi ſit, quantum a ſtructura teſtæ conjicere licet, duo tantum debentur, oculique ad baſin inſeruntur. Cur hujus ſingularitatis ne verbo meminerit Clariſ. *Geofroi*, qui procul dubio limacem viderat, & figuras *Argenville* citat, non video. Ex figura teſtæ, quæ in tabula anatom. *Liſteri* depreſſa & umbilicata eſt, diverſam crederem, niſi cætera convenirent. Cochlea hæc, ſi quæ tradit *Liſter*, exacte vera ſint, *Helicem* & *Neritam* jungit, huic enim tentaculis duobus, oculis ad baſin, operculo & ſexu diverſo, illi vero tentaculis apice globatis, contractilibus ac habitatione terreſtri affinis eſt. *Columna* primus *elegantiſſimam* dixit.

In Italia, Anglia & Gallia; terreſtris dicitur.

364. NERITA LICINIA.

NERITA teſta ovata, incarnata, ſtriata; apertura in puncto adnata.

TURBO teſta oblonga, obtuſa, rugoſo-ſtriata, apertura limbo dilatato, plano, crenato. Lin. *Syſt.* 639.

Bucci-

Buccinum tenuiſſime ſtriatum, ipſo ore circinnato, cui etiam limbus latus & ſtriatus. List. *ſynopſ.* t. 26. f. 24. Petiv. *gaz.* t. 118. f. 11.

Turbo lunaris, nimboſus, ore circinnato, limbo lato & ſtriato. Klein *oſtracod.* p. 55. t. 3. f. 71. a. b.

Dan. olive - neriten.

long. 8 lin. lat. $5\frac{1}{2}$ lin.

Teſta dura, pellucida, intus & extus incarnato - rufa, transverſim & ſpiraliter ſtriata, at minus diſtincte, quam in N. *elegante*. Anfractus quinque. *Apertura* ſubcircinnata margine aliquantum dilatato, vix, ſeu in puncto, anfractum vicinum tangente. Foramen diſtinctum quidem, at non pervium.

Limbus latus & ſtriatus autorum in noſtra deeſt, at incrementum teſtæ nondum abſolutum videtur.

In Muſeis paſſim.

365. NERITA minuta.

Nerita teſta cylindracea apertura ovali.

Dan. lille - neriten.

long. $1\frac{1}{4}$ lin. lat $\frac{1}{2}$ lin.

Teſta ſubvireſcens, cylindrica, æquali fere craſſitie, vertice obtuſo. *Anfractus* tres cum ſemiſſe, teretes; major reliquis duplo longior. *Apertura* ovalis, margine æquali.

Limacem, nec *Operculum* vidi, *Neritam* tamen eſſe vix dubito.

In Saxonia Weimarienſi. Clariſ. *Schröter* miſit.

366. NERITA LUNULATA.

NERITA teſta cylindracea alba, reticulata; apertura remota.

Dan. MAANE - NERITEN.

long. 7 lin. lat. $4\frac{1}{2}$ lin.

Teſta dura, pellucida, eleganter ſtriata, ſeu reticulata, uti Nerita *elegans*, ſtriæ vero minus convexæ. *Anfractus* quinque, faſciis quatuor vel quinque lunularum rufeſcentium, vel ſi mavis lineis transverſim ſerpentibus notati; maximus minus ventricoſus, quam in congeneribus. Juncturæ ſpirarum punctis elevatis, ſive papillis parvis diſtinctæ; hæ partem anfractus, qua vicino adjacet, quaſi crenulatam reddit. *Apertura* circinnata ultra anfractum vicinum porrecta. Foramen uti in N. *Licinia*. Lunulæ rufæ evaneſcunt.

In Muſeo *Fabriciano*.

367. NERITA LABEO.

NERITA teſta oblonga, umbilicata, fuſca, punctis convexis ſtriata, labro albo, dilatato.

BUCCINUM umbilicatum quinque orbium admodum tenuiter ſtriatum & cancellatum, ipſo ore rotundo. LIST. *Syn.* t. 25. f. 23.

LICINA rugoſa, utrinque ſtriata, ore marginato, margine horizontali crenato. BROWN *jam.* p. 401. t. 40. f. 5.

Dan. FLAB - NERITEN.

long. 15 lin. lat. 11 lin.

Teſta

Teſta pellucida, fuſca, punctis convexis ſplendidis in utrumque ſenſum ſtriata. Anfractus quinque protuberantes. Apertura circinnata, margine dilatato, complanato, integro, utrinque albo, anfractui vicino adnato. *Umbilicus* diſtinctus, pervius. Faux fuſca, glabra.

In Muſeo *Moltkiano.*

368. NERITA LIGATA.

NERITA teſta ventricoſa, acuminata, ſubumbilicata, faſciis rubris, apertura circulari.

Dan. BÆNDEL-NERITEN.

long. 6-11 lin. lat. 6-10 lin.

α *faſciis duabus ſubæqualibus.*

β *faſciis quatuor, infima remota.*

γ *faſciis quinque, infima remota, latiore.*

Teſta perquam dura, pellucida; alba vel lutea, ſubtiliter & eleganter in non detritis in utrumque ſenſum ſtriata, faſciis quatuor, vel quinque rubris notata. *Anfractus* quinque vel ſex valde convexi, & eximie decreſcentes. Apertura circinnata, columellæ adnata, margine craſſiuſculo. Faſciæ intus ac extus æque conſpicuæ. Centrum ſubumbilicatum, pervium.

Variat numero faſciarum & defectu ſtriarum circularium in inferiori pagina.

In Muſeo *Spengleriano.*

369. NERITA FASCIATA.

NERITA teſta ovato-ventricoſa, alba, faſciis tribus rubris, ſplendidis.

BUCCINUM fluviatile craſſum, ſex ſpiris finitum, læve, albidum, tribus faſciis ſubrubris per dorſum excurrentibus notatum. GUALT. *teſt.* t. 5. f. M.

CHIOCCIOLA *maggiore.* GIN. *op. poſt.* p. 49. Tom. 2. t. 1. f. 6.

Dan. BAAND-NERITEN.

long. $9\frac{1}{2}$ - 15. lat. $7\frac{1}{2}$ - 10 lin.

Teſta alba, glabra, pellucida, tenuiſſime transverſim ſtriata, ſubnitens; faſciis in extimo anfractu tribus, in proximo duabus rubris, ſplendidis. Anfractus quinque, minus convexi, quam in præcedente; minus junctura diſtantes. Mucro verticis acutus. *Apertura* obovata, minus rotundata, quam in *vivipara*; centrum perforatum foramine minori. *Faux* albo-cæruleſcens.

Gualtieri figura noſtra major; præcedentis varietas?

In Italia & Saxonia. Clariſſ. *F. Baſſi* & *Schröter* miſerunt.

370. NERITA VIVIPARA.

NERITA teſta ovato-ventricoſa, vireſcente, faſciis tribus lividis, obſcuris.

NERITA teſta oblonga, ſubvirideſcente, faſciis tribus lividis, anfractibus quinque. GEOER. *teſt.* 2.

COCHLEA vivipara. SWAMMERD. *Bibl. Nat.* p. 73-78. t. 9. f. 5-13.

COCHLEA

Cochlea maxima fuſca, ſive nigricans, faſciata. List. *an. angl.* t. 2. f. 18.

Cochlea vivipara, faſciata. List. *Synopſ.* t. 126. f. 26. tab. anat. 6.

Cochlea veſca, orbibus fere elatis. Petiv. *gazophyl.* t. 99. f. 16.

Cochlea maxima, virideſcens, faſciata, vivipara. List. *exerc. anat. de Bucc.* p. 17. t. 2. f. 12. 5.

Buccinum fluviatile fuſcum, ſive nigricans, faſciatum quinque orbibus præditum. Gualt. *teſt.* t. 5. f. A.

Helix teſta imperforata ſubovata, obtuſa, cornea, cingulis fuſcatis, apertura ſuborbiculari. Lin. *Syſt.* 690.

Frisch *inſ.* vol. 13. t. 1.

Argenville *Conchyl.* 11. t. 8. f. 2.

Berl. Magaz. 4. B. p. 234 - 242. t. 7. f. 4 - 9.

Chiocciola *mezzana.* Ginan. *op. poſt.* Tom. 2. p. 49. t. 2. f. 8.

Dan. foster-neriten.

Germ. die lebendig gebährende.

Gall. la vivipare à bandes.

long. 11. lat. 10 lin.

Teſta tenera, pellucida, glabra, viridi-flaveſcens, faſciis tribus lividis obſcuris anfractum cingentibus, aliquantum nitens, ſubtiliſſime longitudinaliter ſtriata. *Anfractus* quinque vel ſex valde convexi, mucro in vertice acutus, tenuis, minime obtuſus. *Apertura* ovalis margine interiori parum reflexo, exteriori acuto, ſinus ſive foramen in centro ſub flexura marginis. In faſciatis, licet faſciæ injuria aëris pereant, veſtigia tamen earundem in teſta lumini obverſa conſpiciuntur. Faux albida vel cæruleſcens.

Opercu-

Operculum & limacem haud vidi. Datur alia diaphana tenerrima tota vireſcens absque omni faſcia aut macula, cæterum in omnibus eadem, quæ Cochlea vivipara altera noſtra teſta tenuiori. *Liſt.* Syn. Mantiſ. t. 1055.

Ex *Swammerdamio* conſtat, juniores teſtas ſetis criſtallinis ornari, & dehinc criſtallinam Clariſ. *Martini* non eſſe ſpeciem a vivipara diverſam. Specimen quoque, quod ipſe mihi miſit, tenerrimum, pellucidum, faſciis lividis inſcriptum absque omni ſeta, quæ uti me in litteris certiorem facit, in ſicca teſta deletur.

Hujus cochleæ marem a foemina primo intuitu diſtingui teſta nempe in mare minore, tentaculoque dextro, in quo genitalia maris continentur, ſiniſtro duplo latiore, apiceque obtuſo, *Liſter* in anatom. docet, ſic ego alteram *Cyclopis* maris antennam medio genitalibus incraſſatam deprehendi.

In fluviis & foſſis extra Daniam.

371. NERITA DISSIMILIS.

NERITA teſta ſubovato - acuminata, luteo - albeſcente; labro nigro.

Dan. ULIGEDAN - NERITEN.

long. 9½ lin. lat. 7½ lin.

Inter N. *jaculatorem* & *viviparam* ambigit, diverſa quidem videtur, licet differentia difficulter exprimatur.

Teſta pellucida glabra fuſceſcente - alba; albedo maxime in inferiore anfractus parte conſpicitur, quaſi faſcia lata alba cincta eſſet. *Anfractus* ſex convexitate inter *viviparam* & *faſciatam* media. *Apertura* diſtinguitur margine minus acuto, nigro, nitido. *Operculum* pellucidum luteo - fuſcum, nitidum.

In Muſeo *Spengleriano*.

372. NERI-

372. NERITA JACULATOR.

NERITA teſta oblonga, cornea, vertice acuto.

NERITA teſta oblonga, pellucida, cornea, anfractibus quinque. GEOFR. *teſt.* 3.

COCHLEA parva, ſubflava, intra quinque ſpiras finita. LIST. *an. angl.* t. 2. f. 19.

COCHLEA parva, pellucida, operculo teſtaceo, cochleatoque clauſa. LIST. *Synopſ.* t. 132. f. 32.

BUCCINUM fluviatile, parvum, ſubflavum, lineis transverſis undique ſignatum, ſpiris quatuor finitum. GUALT. *teſt.* t. 5. f. B.

HELIX teſta imperforata, ovata, obtuſa, impura, apertura ſubovata. LIN. *Syſt.* 707.

TURBO fluviatilis minor operculatus janitor dicendus coloris fuſci, ventre ſatis protuberante, & in mucronem non ita acutum breviorem deſinente. SCHLOTTERB. *act. helv.* vol. 5. t. 3. f. 19. 20.

Berl. Magaz. 4. B. p. 243-46. t. 7. f. 12. 13.

Gazette litt. de Berlin.

Dan. SÖE-NERITEN; BOMBE-KASTEREN.

Germ. DER THÜRHÜTER.

Gall. LA PETITE OPERCULEE.

long. $\frac{1}{6}$-$4\frac{1}{4}$ lin. lat. $\frac{1}{2}$-2 lin.

Teſta ovato-acuminata, cornea, diaphana, glabra, in quibusdam limo obducta, fuſca, brunnea, absque maculis aut faſciis. Unicum tantum ſpecimen reperi, cui faſciæ albæ anfractus transverſim percurrunt. *Anfractus* quatuor, quinque, raro ſex terètes, convexi; variant magis vel minus elevati. *Apertura* ovata;

Centrum absque omni foramine, etiam in junioribus. *Faux* teſtæ concolor. *Operculum* ovatum, corneum, pellucidum, album, *Limax* niger punctis aureis inſignitus.

Nomen triviale *tentaculatum* a tentaculis omni cochleæ communibus, item *janitoris* ab operculo, quo limax teſtam claudit, deſumtum toti generi commune deſerui, aliudque a ſpectaculo æque miro & jucundo, quod 16 Julii 1769 præbuit, impertii.

Nerita, quam in vaſe vitreo aqua impleto per aliquot dies ſervaverim, parieti affixa pallium in aperturam protuberantem, emarginatam, per quam in interiora limacis inſpicere licuit, latere dextro prolongaverat; ex hac quovis temporis minuto in diſtantiam unius unciæ vel ultra globuli duo vel tres albi ſumma vi ejaculabantur; tantum a limace remotus quivis globulus in duos pedicellos reſolvi videbatur, quos ingenti celeritate vibrando extra conſpectum aufugit. Quidam globulorum momentum temporis quieſcendo corpus oblongum album, pedicello terminatum oſtendebant, confeſtim vero formam ſphæricam natando receperunt; pedicellus hic licet unicus incredibili vibrationis celeritate duos, tres & plures ſimulabat; ita ut ſphærulæ glandes ardentes e machina bellica ſenſim ejaculatos prorſus referrent. Exploſio ultra horæ ſpatium continuabatur. Limax interea temporis tentaculis ſtrictis, omnibusque artubus immotus parieti vaſculi inhærebat. Examini microſcopico hæc corpuſcula ſubjicere optaviſſem, at ope vitri inquiſitorii ea fruſtra in aqua quæſivi; an ova limacis? an vermiculi in inteſtino limacis hoſpitantes? Dum hæc & alia mente volvo, in tabulam nonam *Swam.* Bibl. nat. forte incidi, ac ſimilitudine figurarum 8 & 11 cum corpuſculis dictis non parum excitatus, in earundem deſcriptionem ſedulus inquiro. In motu dum eſſent, fig. undecimam, in quiete vero momentanea octavam, quæ pullos *Neritæ* fiſtit, referebant. Quoniam vero motus incitatus concentricus ſphæram oculo fiſtere valet, patet, corpuſcula hæc generi vermiculorum deberi. Vermiculi acutiſſimi autoris, ex utero limacis Neritæ viviparæ exciſi & aquæ immiſſi in celerem gyrum etiam rotabantur. Quo vero mechanismo

limax

limax ſeſe his animalculis liberare valet, majoris indaginis erit.

In lacubus & rivis, vulgaris.

373. NERITA ANGULARIS.

NERITA teſta imperforata, vireſcente, anfractibus ſpiraliter angulatis, fauce alba.

COCHLEA virginiana e flavo virideſcens non faſciata. LIST. *Syn.* t. 127. f. 27.

Dan. KANT - NERITEN.

long. 12 lin. lat. 6 lin.

Teſta opaca, conica, glabra vireſcens ſtriis transverſis, ſubtiliſſimis, ſpiralibus vero tribus in ſingulo anfractu elevatis, acutis. *Anfractus* quinque fere perpendiculares. *Apertura* rotundata, ad anfractum vicinum in angulum producta. *Foramen* vel umbilicus nullus. *Faux* calcarea. Striæ ſpirales in quibusdam evaneſcunt.

Figura *Liſteri* noſtris major, cæterum refert.

In flumine Chinenſi emporium *Canton* alluente.

374. NERITA CONTORTA.

NERITA teſta turbinata, cinerea, perforata, vertice truncato.

ARGENVILLE *Conchyl.* 11. t. 8. f. 5. ſiniſtrorſa.

Dan. SNIRKEL - NERITEN.

long. $2\frac{1}{3}$. lat. $1\frac{1}{2}$ lin.

Teſta pyramidalis, ſqualida, opaca. *Anfractus* vix quinque, convexi ſibi invicem fere perpendiculariter impoſiti; quartus & quintus in ipſo apice depreſſi, hinc lateribus tantum tres numerantur, & apex truncatus conſpicitur. *Apertura* circinnata eſt, ac *centrum* uti in antecedente perforatum.

Unicum tantum exemplar reperi, limace deſtitutum, hinc nec operculum, nec hoſpitem vidi.

Apex in figura acuta non ſatis depreſſus eſt.

In foſſa limoſa nemoris, rariſſima.

375. NERITA ATRA.

NERITA teſta ſubulata, lævi, apertura antice poſticeque ſinuata.

BUCCINUM atro-purpureum, læve, oris vertice ſive roſtro paululum ſinuato. LIST. *Syn.* t. 115. f. 10.

STROMBUS ater teſta turrita, lævi, labro antice poſticeque ſoluto. LIN. *Syſt.* 516. Mus. L. U. 624.

STROMBUS paluſtris lævis. RUMPH. *Conchyl.* t. 33. f. R.

PETIV. *gaz. amboin.* t. 13. f. 16.

SEB. *theſ.* 3. t. 56. f. 13. 14.

Dan. SORT- NERITEN.

